MATAGONIS DE MATAGONIBVS, DECRETORVM BAC-CALAVREI,

MONITORIALE AD-VERSVS ITALOGALLIAM SIVE ANTIFRANCOGALLIAM

Antonij Matharelli Aluernogeni.

Prouerb. 26.

Reſponde ſtulto, ſecundum ſuam ſtultitiam.

M. D LXXV.

Case
F
39
.326
1575h

THE NEWBERRY
LIBRARY

51-1947

MATAGONIS DE MATAGONIBVS, DECRETORVM BACCALAVREI, MONITORIALE ADVERSVS ITALOGALLIAM

ſiue Antifrancogalliam Antonii Matharelli Aluernogeni.

EXIVIT non de paradiſo (vt dicit Clemētina) ſed de Palatio Pariſius (qui tamen eſt paradiſus aduocatorum) liber quidā nuper cōpilatus & intitulatus de nomine Anthonij Matharelli: qui ſe dicit procuratorem generalem Reginæ matris: qui liber abſque dubio compoſitus fuit in fauorem & gratiā Italogallorum, & in odium, dedignationem & deſpectum Francogallorum, ſicut de facili ex ipſius lectura cognoſcere potui: quia quanuis non apertè ſe diſcoperiat, tamen ego ſum aliqualiter ſimilis illius doctoris Nelli de Gabrielibus, qui intelligebat ad motum labiorum: vt dicit Barth. in l. 1, num. 7, ff. de verb. obligat. Quocirca ego licet minimus Decretorū baccalaureus, ſed in breui gradum meum aſſumpturus, & etiam ſub domino Cuiacio Recatholicatiſsimo doctor in vtróq; trāſ-

eundus, poſui me iſtis diebus ad reſpōdēdū illi libro,& ad omnia & ſingula ipſius capita,ſed breuiter & ſine multis verbis : quia gaudent breuitate moderni,vt dicit gloſſ.1,in l.1, ff.Quod met. cauſ. & propoſui ſequi ordinē præallegati libri, quia qui nō procedit ordine, dicitur frænare ſuū equum per caudā,vt dicit Lancelott. in l. nemo poteſt,col.5.ff.de leg.1.& vbi non eſt ordo,ibi eſt confuſio , vt dicit Angel. in lib. 1, §. nunc videamus, ff.de oper.nou.nunt. Quocirca pleno ſaltu intro in liminare ſiue dedicatorium ipſius epiſtolium:in quo quum ſe procuratorem dicat,incurrit dubitatio, vtrum procuratorio nomine agat, an ſuo proprio & priuato.Nam ſi agat vt procurator,videtur propter duas cauſas mandati fines excedere. primùm quia procurator eſt Reginæ matris,& non regis,cuius(vt ipſe intendit)negotium agitur.Neque verò poteſt dici negotiorum geſtor, quum rex ſatis multos plus ſufficientes procuratores habeat,qui attentè ipſius negotiis inuigilant,quàm ipſe eſt. Deinde quia mandatū procuratoris generalis regis non excedit limites regni:alioqui ſe intromitteret de negotiis ad ambaſſiatores pertinentibus. Liber autem Francogalliæ de quo lis ventilatur,eſt factus extra regnum.ergo &c. Sin autem Matharellus agat ſuo nomine,notum eſt,quòd tria requiruntur : primùm vt libellū offerat:quod fecit: deinde vt det fideiuſſorem de lite proſequenda. L. qui crimē, C.de his qui accuſ. poſſ.quod videtur feciſſe per Papirium Maſſonum, qui paratus eſt illum cau-

tionare corpus pro corpore . ſed adhuc requiritur tertium vt, ſe expreſsé obliget ad pœnam talionis, in caſu quo probetur calumniator. quod probatur per l. vl. C. de calumniat. & omnes Canoniſtas, ſed maximè per Hieronym . de Zanetinis in repetit. c. 1, ext. de accuſat. de quo ſi ſumus concordes, & Matharellus ſe ſubiiciat talioni, in caſu quòd calumniæ conuincatur, totum negotium noſtrum bene vadit, niſi fortè in vno dubio: quis erit noſter iudex? Nam Papirius Maſſonus qui tanquam iam primus Præſidens per imaginationem, vnum mirabile areſtum pronuntiauit, videtur quòd in ſua cauſa iudex & pars & teſtis eſſe non poteſt. 2, q. 1, c. nulli. & 4, q. 4, c. 1. Sed quoniam ego præſumo quòd Matharellus accuſauit apud omnes doctos Galliæ, non recuſamus illos iudices: prouiſo tamen quòd non ſint oſcitãtes, vt Matharellus illos appellat: ſed ſint attenti & vigilantes: quia ius ſcriptum eſt vigilantibus, non dormiẽtibus: vt dicit text. in l. pupillus, ff. quæ in fraud. credit. Supereſt vnus ſcrupulus: vtrum Matharellus ſit admiſsibilis ad accuſationẽ? Ratio dubitandi eſt, quia fatui, ſtulti, furioſi, ſunt inadmiſsibiles ad accuſandũ, vt latè per Angel. de Aret. in tract. maleffic. in 3, collat. & Bal. in terminis, in rub. C. qui accuſ. non poſſ. circa finẽ. Non obſtat dictum Iohannis Andreæ, quòd valet actus quem facit fatuus, ſi eum faciat tanquã ſapiens. in c. fin. de ſucceſſ. ab inteſt. Et de illo dicto facit feſtum Bald. in c. 1, per quos fiat inueſt. allegans dictum Hoſtienſis & Abbatis in c. ad noſtram, de conſuet. de illa ſententia quondam

lata ab illo fatuo Pariſienſi contra tabernarium, qui volebat ſibi ſolui per quendam pauperem, qui comederat ſuum panem ad odorem carniũ hoſpitis:iudex autem ſententiarat, vt ſolueret eũ faciendo ſonare monetam in ſua manu. Sed reſpõdetur, quòd quanuis Matharellus ſit fatuus, prout in ſequentibus facilè apparebit, tamen habet dilucida interualla. & quanuis dubitari poſſit, vtrum ſuum librum compoſuerit furoris an dilucidi interualli tempore, tamẽ in dubio præſumendus eſt interualli tẽpore illum compoſuiſſe:quia multi dicunt quòd fecit actum ſapientis, & liber à multis aduocatis curiæ Parlamenti approbatur: & hæc eſt cõmunis deciſio ſecundùm Baldum in l. furioſum, C. qui teſt. fac. poſſ. & Barth.in tract.de teſt. & plenè per dom. Alexãd. in conſ.293.Maturè incipiẽte,in 1,coll. Quinimò vt tollatur omnis ambiguitas,vnicum remedium erit in brocardica iuris:Si non valet quod ago, vt ago, valeat vt valere poteſt. text.notab.in c. vnico,de deſponſ.impub.lib.6. Sed iſtis omiſsis,reuertendo ad epiſtolam dedicatoriam,dico, quantum ad hoc quod Matharellus aſſerit, ſe non habuiſſe otium ad citius componendum ſuum librum,quia vno momento duo regna ſe regi obtulerunt,Polonicum & Gallicũ: dico quòd quũ pluſquam ferè XII menſes interceſſerint inter electionem Polonicam & ſucceſsionem Gallicam,quòd oportet vnũ de duobus,aut quòd Matharellus neſciat quid ſit Momentum,quod definitur id quod fit in ictu oculi,& in inſtãti,vt dicit gloſſ.vlt.in l. vlt.C.de bon.quæ lib.aut quòd ipſe

habuerit ſecretam quandam intelligentiam de re quadam, de qua multi loquuti ſunt: & poſuit pro facto quod proximè fiendum erat, ſecundũ Barth.in l.pen.ff.de teſt. mil. maximè quia mora modici temporis non eſt attendenda.gloſſ.in l. ſi debitori,ff.de iudic.Inquantum verò Matharellus dicit in eadem dedicatoria, quòd voluit vincire latratum exulis: primùm video iſtud quotidie ab Humaniſtis derideri: qui dicũt ſe nunquã legiſſe talem loquutionem.quia verba ligant homines,taurorum cornua funes,vt dicit gloſſ.in.§, 1, de oblig. ſed vincire latratum exulis nunquam auditum eſt. Deinde quærebant quo iudicio & quando, & à quibus vnquam ille Francogalliæ ſcriptor ſit exilio damnatus,aut relegatus, aut deportatus: & vtrum illi ſit honeſtius abeſſe ab ea patria in qua triginta bonorum Francogallorum millia bidui ſpatio ab Italogallis proditoriè occiduntur,an turpius ſuæ patriæ carere illo ciue & iuriſconſulto,ad quem audiendum(quãcũque in regionem ſe conferat)confluunt quotidie non modo nobiliſsimi,ſed etiam illuſtriſsimi adoleſcentes. Inquantum verò Matharellus dicit ſe oſcitantibus omnibus doctis in Gallia viris, & Hotomano non reſpondentibus, ſe illius exulis latratum vincire voluiſſe:certè oportet vnum de duobus,vel quod verificauit commune dictum, quod fatui & inhabiles interdum ponuntur in cathedra & aſſumuntur ad honores propter defectum ſapientum: ſicut in terminis dicit Paul. de caſt.in l.1,nu.3, C.qui & aduerſus quos in int.aut (quod eſt magis veriſimile)quod docti viri Galli

quos iſte oſcitantes appellat, nihil mordere potuerunt in illo libro: primùm quia ſcriptor eius ſimplex eſt narrator & recitator hiſtoriarũ, quas licet allegare.bon.text.in l.1, ff.de cadau. punit. & ꝙ nõ eſt ſuccenſendũ illi, qui eſt tãtùm relator & narrator facti, & ideo excuſandus: vt dicit gloſ. in l.gallus §.idem credẽdum, in verb pronepos, ff.de lib.& poſth. deinde quòd in illo libro Francogalliæ nihil dictũ eſt, quin confeſtim & ſuper cãpo allegẽtur mille authoritates & teſtimonia Chronologorũ & hiſtoriographorũ, quibꝰ omnia illius libri motiua bene fundantur: quoniã quũ ſit (vt fateris pag.82) iuris peritiſsimus, erubuit ſi ne lege loqui. §. cõſideremus, in auth. de trient.& ſemiſſ. Quũ autem alia multa ſint in illa dedicatione ſtulta & fatua, tũ nihil ſtultius, neque quod certius ſit Matharellicæ fatuitatis argumentum, quàm quòd auſus eſt maieſtati Regis maximi & potentiſsimi tam fatuum librum dedicare. Et vt non dubitetur de fatuitate Matharelli, ponam vnum inter cætera exorbitantiſsimæ fatuitatis exẽplum ex cap.6, pag.35, vbi verba hæc ſunt formalia. Hotomanus diſputat regnum Galliæ olim per electionem & ſuffragia deferri conſueuiſſe, vt ei liceat, quemadmodum Didio Iuliano iureconſulto regnum emptis ſuffragiis arripere. Eò enim tendunt illa tot exempla mendicata, eò tendit tota Hotomani oratio, eò ſpectat libellus. O bardocucullum Matharellum, & per omnes caſus cucurbitabilem! An ſi aſinus aut mulus aliquis de Aluernia patria ſua loqui poſſet, aliter loqueretur? Certè ego audiui quòd quando Ho

tomanus iſtud legit,adeo profundè riſit,vt dixerit ſe poſt carnificinam Italogallicam non tantùm riſiſſe:ac ſtatim iſta verba pronuntiauit: Crede mihi Matharelle, Si rex fiam, quòd tu eris primus in matricula meorum ſtipendiatorum: non vt te faciam meum procuratorem generalem aut ſpecialem,quia nihil intelligis in iure, vt tuus liber ſatis oſtendit:ſed meum Archiſatuum, ſicut Tribulletus fuit regi Ludouico. Et vt iſto feudo ſolenniter inueſtiaris, dabo tibi pro dono inueſtituræ vnum pulchrum bacillum album,cui alligata erit vna veſica cum piſis abintus canorè reſonantibus.Sed tranſeamus ad alia fatuitatis teſtimonia euidentiſsima,quale eſt illud quod tam multis locis aduerſarium tantis laudibus extollit:veluti pag.9, Hotomanum eruditione ſua mouere homines poſſe.& ibidem,Hotomanum inter eruditos non vulgares partes obtinere. Item pag.11,Hotomanum de antiquo Galliæ ſtatu luculenter certè diſſeruiſſe.pag.45,neminem neſcire Hotomanum in varia variorum autorum lectione multùm verſatum, & in eadem excellere. pag.80,Hotomanum apud graues viros literarũ nomine in pretio non exiguo eſſe, quod illi authoritatem tribuit. pag. 82, Hotomanum iuris Romani eſſe peritiſsimũ:item pag.148, illum eſſe egregium Iuriſconſultum. Quibus attentis & prudenti trutina perpenſis, credo certè quod ſi maximus & potẽtiſsimus Rex, cui tuum librum dedicaſti,de tot ſtultitiis & fatuitatib⁹ tuis admoneatur, pro recõpẽſatione quã ab eo expectas, iubebit te poni tergiuerſaliter ſuper vnũ aſinum

lambellis tui libri bardatum & caparaſſonatum, & retrogradé duci per vicos vrbis Pariſius, caudam aſini pro habena tenentem, & ab omnibus pueris os tuum impudens permerdari. ſicuti fuit olim conſuetudo Pariſius & in Catalaunia, vt vir cucurbitatus (etiam ipſo ignorante) duceretur ab vxore retrogradus ſuper aſinum, præcone clamante, Qui ſic faciet, ſic accipiet: vt refert Iohãnes Montanus in tractatu de Bigamia, quæſt. 2, collat. 11, & poſt eũ Sylua nup. lib. 4, nu. 85. Quod ſi conſuetudo illa cuſtodiretur Pariſius, credo quòd omnes aſini pontis molitorum hoc tempore non ſufficerent: & ſi in vſum reuocaretur (fortaſſe per prima ſtatuum comitia quæ tenebuntur) de bona hora ſibi Matharellus pulcrum aliquem aſinũ retineat. quia quanuis nihil adhuc dicat, tamen debet ſcire, quòd plures ſunt cornuti in herbis, quã canonici in verbis: vt dicit Rota in nouis deciſ. CCCXLV, ſi legatus, & Roch. inc. cũ M. de conſtit. ſuper gloſſ. antepen. Expeditus de tua dedicatoria (in cuius fine Humaniſtæ notãt incongruitatem, E Lutetia, pro Lutetiæ) tranſeo iam ad iudicium Papirij Maſſoni: niſi fortè illud quoq; addendum eſt, quod in parua tua præfatione quidã certus Ciceronianus notabat, quod ſex integros verſus ex oratione Cicer. in Verrem, pag. 10, poſuiſti, & tacito nomine Ciceronis, pro tuis vſurpaſti. nam totum illud, Nullæ enim ſunt occultiores inſidiæ, &c. totum inquam illud ex Cicerone tranſcriptum eſſe, quidam ex iſtis Ciceronianis mihi in ſuo libro oſtẽdit. Veniamus ergo ad iudiciũ Papirii Maſſoni.

Et quis eſt, aut de vnde eſt iſte Papirius? aut in qua Kyriella inueniuntur tales ſancti? An eſt de poſteritate illius Papirij de quo eſt textus in l. 2, ff. de orig. iur. quòd fuit temporibus illis quibus Tarquinius Superbus? Sed ille de ſuo nihil adiecit: iſte ad librũ Mathar. adiecit: per quod euidẽter indicauit librũ Mathar. fuiſſe defectuoſum. alioqui ſuperabundantia & ſuperfluitas fuiſſet, quæ in plenis & perfectis eſt reſecanda, vt per Barth. & Bald. in l. Gallus, §. quidã rectè, de lib. & poſth. vbi reprehẽdũt Scæuolã de ſuperfluitate. Audiui etiã dicẽtes, ꝙ ille Maſſon. multo plus fecit. quia librũ Mathar. in multis paſsibꝰ emendauit: quapropter ſe inter quoſdam ſuos familiares libri authorẽ eſſe gloriabatur. quia qui ſubtiliter factũ emẽdat, laudabilior eſt eo, qui primus adinuenit, l. 1, §. ſed neque, C. de vet. iur. enucl. concord. c. ſi apoſtolicæ. aut. fin. de præbend. lib. 6. Sed primùm quæri video ab aduerſariis, quo iure iſte Papirius iudiciũ iſtud pronũtiet? & quis conſtituerit illũ iudicẽ in hac cauſa? & vtrũ ſit iudex datus à lege, an à principe, an ab eo qui ius dãdi habet? & vtrũ ſomniarit ſe iã eſſe primũ præſidẽtẽ curiæ parlamẽti, aut ſucceſſurum in locũ domini Chriſtophori de Thou: vt cum iſta arrogantia ſua iudicia tanquam Arreſta pronuntiet? Vnum video de quo ineuitabiliter conuincitur, quod in ſua cauſa idẽ nõ poterat eſſe pars & iudex & teſtis: & quod iudex incõpetens & temere ſe intromittens ſuam litem facit. Sed eſt aliud notabilius & quod totam Germaniam & Heluetiam irritabit: Quid, inquit, cum Parlamento no-

ſtro Pariſienſi ſimile habent tabernæ Heluetiorum, aut Germanorum popinæ vino madentes? Daſtichgotz, dicunt iſti Germani cholerici. Et vnde nobis iſte cucullus cucurbitabilis Maſſonus prodiit? qui venerandum Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, & inuictiſsimi Germanici imperij Senatum ſiue Cameram Imperialem fœdiſsimo popinæ nomine appellare audet? Nos retinemus legem Caroli Magni, & Francicam, quæ eſt in cap.84. his verbis: Vt nullus Comes ſiue iudex placitum habeat, niſi ieiunus. At complures veſtrum ſanguine & cruore humano ebrij, bene ſaburrati, poti, ſaginati quid facitis? Hora ſecunda poſt prandium ſedetis. Nota omnibus eſt hiſtoria, de eo qui cùm dormiens à præſide excitatus & ſententiam interrogatus eſſet, ſemiſomnis dixit: ſuſpendatur, ſuſpendatur: credens criminalem proceſſum eſſe. cui præſes, Quinimo (inquit) agitur de prato. Ergo defalcetur, reſpondit ebrius. Quinetiam de mane habetis ientaculum, & ientatis antequã aduocatos audiatis. iuxta illud, Ieiunus venter non audit verba libenter. certum eſt autem quod vinum quamuis parum, mane bibitum, ſoluit ieiunium. c. ex parte, Ext. de celebrat. miſs. Quam vero illud abſurdum eſt & truffatorium, quod dicit auctorem Francogalliæ, qui non credit in monachis, non debuiſſe allegare auctoritates Gregorij Turonẽſis, Aimoini, Rheginonis, Sigeberti, qui fuerunt omnes monachi. quaſi verò minimus de practicis Palatij vel Caſteletti, neſciat quod in proceſſibus vna pars capit ius quotidie ex dictis & confeſsionibus alterius

rius partis & inſtrumentis ab ea productis: & qui pro ſe produxit inſtrumẽtum, tenetur etiam illud contra ſe recipere, vt dicit Specul. 1. parte, tit. de teſt. verſ. ſed nũquid. quinimo licet ſuper hoc varient gloſſæ & doctores, tamen communior opinio eſt, quod teſtes & inſtrumenta poſſunt & pro parte approbari & pro parte reprobari. Bonus text. 37. diſt. c. qui de menſa. 12. queſt. 2. c. ſiquis. De conſecr. diſt. 4. ſi nõ ſanctificatur. Poſtea Maſſonus dicit, quòd ſexcentis ab hinc annis Reges Galliæ facti ſunt ex ſucceſsione. at nunquam aliter Frãcogalliſta locutus eſt. ſed vtrum primis temporibus Francogalliæ Reges eſſent ex electione an ex ſucceſsione, iudicent omnes lectores ex illius libri cap. 6. Itaque ſophiſma eſt, cùm Maſſonus addit, Cedrenum qui eſt quaſi recens ſcriptor, dicere Reges Galliæ fieri per ſucceſsionem: quia aliud eſt Cedreni tempore hoc fieri ſolere, aliud tempore Caroli Magni, & totius ſtirpis Merouingiorum. Sed cur vel Maſſonus vel Matharellus Francogalliæ ſcriptori, & ſimplici hiſtoriarum narratori ita terribiliter iraſcitur? Nam vt dicit Sylua nupt. lib. 1. nu. 10. quomodo poteſt aliquis ei ſuccenſere qui eſt tãtum relator & narrator facti? Francogalliſta enim tantum narrationi & relationi ſimplici vacat. quod ſi aliena dicta delerentur, charta remaneret alba. Cęteris autem dictis Maſſonij, quia anticipãt ordini nobis propoſito, communiter reſpondendum erit cum Matharello. Sed quod dicit, Francogalliam compoſitam ab auctore bene poto in aliquo œnopolio, & eum euomuiſſe ſcriptum

plenum furoris & inſaniæ:video multos auctoris amicos, dictum iſtud appellare meretriciam impudentiam, flagris & carcere dignam. Tot(inquiunt) fuere quinquaginta abhinc annis docti viri in Gallia.quis vnquam tam diligēter, ea quæ ad Francorum ortum, ad maiorum inſtitutum, ad antiquæ Reipu.rationem pertinebant, obſeruauit? Matharellus ipſe fatetur librum eſſe luculenter ſcriptum. Vbi verò vllum iracundi animi ſignum? vbi vox vlla perturbati animi in toto libro, ac non potius ſedatæ & moderatæ narrationis? Quin Maſſonus ſuo Cuiacio recatolichato furorem & inſaniam potius obiicit, qui ſibi ſcuticam ad aliorum ſcripta reprehendēda ſumpſit: qui tamen cùm aliis ſua ſcutica minitatus eſſet, poſtea flagris cæſus & conuictus tacere coactus eſt. Sed credo illum in breui à Zacharia Furneſtero ſuam ſolutionem habiturum. Maſſono igitur ad ſuam truellam relegato, iam ſum de duabus præfationibus expeditus: maximè de illa ſententia quā Maſſonus ſpe officij alicuius dedit per antiphraſim, vt dicebat Frater Oliuerius Maillardus, Domin.2.aduentus, ſermon.xx: O domini de parlamento! qui datis ſententias per antiphraſim: id eſt venditis: melius eſſet vos mortuos in ventribus matrum veſtrarū. Reuertamur nunc ad Matharellum, & conſideremus primum ſui libri caput: vbi dicit quod in Francogallia multa prætermiſſa ſunt, quæ dici potuerunt de Gallorum origine, quæ ſunt apud Beroſum, Manethonem, Metaſthenem. At hęc docti & ſapientes pro truffis & fabulis numerant: neque tamen iccirco

ab ad

ab aduerſario tuo prętermiſſa ſunt. quia multa ſciebat eſſe apud Iuſtinum & Philonem & alios quę de Gallia dici poterant: ſed quia iampridem illa omnia diligenter & accuratè demonſtrata fuerant à Iohanne Picardo Trotteriano in libris v. quos inſcripſit Priſca Celtopædia. in Frãcogallia autẽ proteſtatio eſt ſtatim ab initio, ea omnia prætermitti, & tãtum tractatum iri quæ ad vſum Reip. & horũ temporũ opportunitatẽ vtilia videbantur. nã quę vulgariter nugãtur de Francione, Hectoris filio, & Troianis in Galliam delatis, ea relinquẽda ſunt Ronſardo poetę, ad perficiendã ſuam Frãciadẽ. ſunt. n. tãquam fiſtulę paſtorum, quę ad nihil aliud ſeruiunt, niſi ad faciendum ſaltare capras. Similis fatuitas illa eſt, quod cũ dicit ſe aduerſarium reprehẽdere, qui dixerat ante Cęſaris in Galliã aduentum omnes fere ciuitates liberas fuiſſe, neque vni Regi paruiſſe: tamen his verbis vtitur, quæ vel plus vel tantundem dicunt: Notũ eſt vrbes primarias ſui iuris fuiſſe, nulliúſque addictas imperio. Sed quod ſequitur, multo maior eſt fatuitas. Licet in Gallia (vt Cęſar teſtatur) reguli plurimi fuerint, qui multos habebant clientes, quos ambactos vocat. O ſtultitiam veſica inueſtiendam, cum capitio viridi & tintinabulis! Auſum eſſe Matharellum, qui Cæſarem nunquam attigit, cum eo qui commentariis in illum editis oſtendit quanti Cæſarem faceret, in certamen deſcendere: & (vt Maſſonus loquitur) tyro cum perito & veterano dimicare! Formalia verba Cęſaris hęc ſunt, Alterum genus eſt equitum. eorum vt quiſque eſt genere copiiſque am-

pliſsimus,ita plurimoscircũ ſe ambactos cliẽtéſ-que habet. Matharellus ergo omnes equites Galliæ, hoc eſt forté amplius xx aut xxx millia Reges Galliæ numerat? quod etiam pag. inſequẽti, hoc eſt pag. 13. repetit: Secundus Gallorum ordo (inquit) erat nobilium Regulorum. Transeamus ad caput 2. Matharellus ſcribit pag. 15. Linguam veterem Gallorum non multum diſsimilem fuiſſe ab hac noſtra vulgari, qua hodie vtimur: quod probat ex Ammiano, qui ſcribit ſuo tempore, Ararim à Gallis appellari Sanconam, hodie autem vocari la Saoſne. A ſine, quando & quo tempore ſcripſit Ammianus? vel vbi Cæſar tanto antiquior Sanconam vnquam nominauit? annon Cæſar Araris nomen ſemper vſurpat? Idem adiungit Gallos dixiſſe Leucas, nos dicere Lieües: eoſdem dixiſſe Beco, nos dicere Bec. quæ fuerunt antiquæ multorum obſeruationes multis ab hinc annis notæ & diuulgatæ, ac poſtea diligenter enumeratæ ab illo Iohan. Picardo viro diligentiſsimo. Sed qualis eſt iſta conſequentia? Quinque aut ſex verba hodie oſtendi poſſunt, à veteribus Gallis olim vſurpata. Ergo illorũ lingua huius noſtrę fuit ſimilis. Imo verò fortius & validius eſt argumentum aduerſarij tui: quia tam pauca hodie ſuperſunt veterum Gallorum vocabula, linguã illorum ab ea qua iam vtimur longè diſsimillimã & diuerſiſsimam fuiſſe. Et quoniam allegatis ab Hotomano teſtimoniis Matharellus non fuit contentus, age, proferamus vnum auctorem quem pro tũc Hotomanus nondum viderat: de quo tamen ſuam nouam editio-

nẽ be

nē bene perlardabit. Is eſt Hunibaldus, omnium fere qui de Frãcis ſcripſerũt, antiquiſsimus. Merouei tempore, inquit, Franci pene totã Galliam ſuo regno adiecerunt. Franci ergo Gallis commixti, de ipſorum filiabus ſibi acceperunt vxores: genuerunt ſibi filios & filias: qui omnes didicerunt ſimul linguam eorum & mores: cum quibus ſunt deinceps conuerſati vſque in pręſentē diem. Prętera, quid eſt quod Matharellus cõtra Francogalliam diſputat pag. 16. idioma quo nunc Angli vtuntur, vetus Gallicum non fuiſſe? vbi enim hoc Francogalliæ ſcriptor dixerat, aut vnquam ſomniarat? Quis neſcit alios fuiſſe veteres Britannos, alios Anglos? Cùm igitur Francogallicus ſcriptor ex Cęſare diſputat, quinimò ad oculum demonſtrat, veterum Gallorum linguam cum veterum Britannorum lingua ſimilem fuiſſe, quid hoc ad modernam Anglorum linguam? Argumentum, imò documentũ aduerſarij tui hoc fuit: quod Tacitus in Agricolę vita his verbis vtitur: Britannorum & Gallorum ſermonem haud multum fuiſſe diuerſum. Item quod Cęſar ſcribit adoleſcentes Gallos poſtquã aliquot annos apud Druydas iura & philiſophiam didicerant, profectos in Britanniam ad meliores doctores. ex quo arguitur, Gallorum & Britãnorum Druydas eadem lingua locutos. Quod verò pag. 18. Matharellus contendit linguam noſtram modernam nihil habere commune cum Germanica: quis eſt tam parum cum Germanis verſatus, qui neſciat iſtud eſſe falſum? vel, cui nota iſta non ſunt: Mörder, meurdrier. Spervver, eſperuier. Herbergen,

Heberger. Bolvverk, Boleuert. Bürger, bourgeois. Helm. heaulme. Bock, bouc. Bank, banc. Sporen, eſperons. Laſſen, laiſſer. Harniſch, harnois. Dägen, dague. Küſſen, couſsin. Gratzen, gratter. Trüben, troubler. Glocken, cloche. Reich, riche. Rauben, rober ou deſrober. Ratz, rat. Manglen, manquer. Hag, haye. Bannier, banniere. Mantel, manteau. Stöchen, eſtoquer. Trapp. vne trappe, ou degré. Tromet, vne trompette. Mayer ou Meyer, vn Maire. Graben, grauer. Garten, Iardin. Fälen, Faillir. Saal, ſalle. Berlen, perles. Häring, harẽ. Pappegey, papegay. Saffran, ſaffran. Krebs, eſcreuiſſe. Speher, eſpieur. Feüer, feu. Stall, eſtable. Spieſs, eſpieu. Pfeiffer, vn fiffre. Stub, eſtuues. & quingẽta alia. Aduertendum tamen, quod in Francogallia nuſquam dicitur, Gallos Cæſaris tempore Germanica lingua eſſe vſos: vt Matharellus impudenter pag. 18 mentitur. quinimo expreſsis terminis dictũ erat, Ariouiſtum xiiij annorum cõſuetudine linguam Gallicam didiciſſe. Sed illud valde impertinẽter & ridiculosè Matharellus ſubiunxit in fine pag. 19. Vt vult Hotomanus, qui nos etiã Germanos faceret, ſi poſſet. At idem (ſi poſſet) leuitatem Gallicam cum moderatione Germanica libenter temperaret: quandoquidem Tacitus ſcribit lib. 13. nullos mortalium armis & fide ante Germanos eſſe: multi autem viſo & attento quod in Gallia triginta hominum millia bidui ſpatio impune, nullo auctore, trucidata ſunt, per totam Germaniam clamãt, Nullos mortalium perfidia & crudelitate ante quorundam Italogallorum

genus eſſe. Præterea multi reſpondent tibi, quòd eſſet multo vtilius toti regno Galliæ fieri Germanogallos quàm Italogallos, vt nũc ſunt quamplurimi. vnde videmus pulchros fructus proditionis, perfidiæ, poltroniſmi, atheiſmi, magiæ, nigromantiæ, & per conſequentiam Sodomiæ. O pauperes maiores noſtri aui proauíque nobilium Gallorum qui nunc ſunt: ſiquis eſt ſenſus in inferis, vt dixit Matharellus in quodam paſſu. quid dicitis de filiis & nepotibus veſtris degenerãtibus? vnus loripes, vnus Banquerotti filius, gubernant rem militarem. vnus vetus Rouardus ignorantiſſimus gubernat iuſtitiam. Omnes gabellæ, douanæ, tributa, talliæ & veſtigalia publica ſunt inter manus Italorum publicanorum. Totum Lugdunum eſt plenum Italis publicanis, plena Lutetia. Ferme, amodiationes, arrentamenta omnium feré Epiſcopatuũ & Abbatiarum ſunt in manibus Italorum: ipſi ſugunt ſanguinem & medullam miſeræ plebis Francogallicæ. Qui fuerũt inuentores & cõductores & executores maſſacrorum & carnificinarum? Italogalli. Qui fuerunt inuentores tot talliarum & impoſitionum, quibus pauper populus excoriatur? Italogalli. Qui fuerunt conſiliatores belli & promotores tantæ infamiæ, quam nos Catholici accepimus in Delphinatu? Italogalli. Qui ſunt adhuc hodie qui impediunt pacem in Gallia ſuis mendaciis & ſophiſticis inuentionibus? Italogalli. Nominetur ergo Italogallia, ſi Matharellus & ſui ſocij hoc malũt quàm Francogallia: quia nouis reb. imponuntur noua nomina, vt cõmuniter dicitur: Cõueniunt rebus

nomina ſæpe ſuis. gloſſ. in l. j. de donat. Intro iam in cap. 3. vbi Mathar. ſcribit aduerſarium tractaſſe de ſtatu Galliæ in prouinciæ formã à Romanis redactæ: ſed illum locum pluribus tractari poſſe. Quin tu igitur Matharelle, ſi patriæ noſtræ dignitatem & honorem amas, non eum locum copioſius tractas? Quid verò ſubiungis? Cæſarem multorum Gallorum opera fideliſsima & fortiſſima vſum eſſe. ô ſtultitiam Matharellicam! qui non vidit miſeros Gallos, (in quibus Hedui primi fuerunt) qui Cæſaris partes tuebantur, non amore & ſtudio patriæ id feciſſe, ſed propter ciuiles diſſenſiones & bella domeſtica, quæ inter Heduos & Aruernos erant: Cæſarem autem ſub prætextu ſuccurrendi Heduis, quos S. P. Q. R. fratres & conſanguineos appellarat, vtranque partem (vt ſæpe in aliis gentibus acciderat) euertiſſe, & ſub iugum populi ſui Romani ſubieciſſe. Non igitur fortiſsima & fideliſsima Heduorum opera Cæſar eſt vſus, ſed infeliciſsima & patriæ exitioſiſsima. Tranſeo ad cap. 4. Multis (inquit Matharellus) temporibus ante Carolũ magnum fuerunt Franci. ergo non rectè Nauclerus dixit in Chron. Carolum dictum Regem Francorum, id eſt Gallorum & Germanorũ. Hoc eſt dicere: Multis ſeculis ante Matharellum natum!, fuerunt fatui. Ergò Matharellus nõ eſt fatuus. Similis eſt ſtultitia, cùm ait, aduerſarium ſuum diſputare Francos fuiſſe Germanos, vt in Germania ius ciuitatis facilius poſſet conſequi: quaſi quis diceret Matharellum negare Francos fuiſſe Germanos, ne ſibi vnquam ſuam artem rabulariam exercere

in

in Germania liceret. Inquantum autẽ dicit Connanum Iureconſ. aſſerere quòd Franci nõ aliam quàm Gallicã originem habuerunt, ídque illum ex Cęſare & Liuio affirmare: reſpõdeo breuiter: Si vel Connanus vel quiuis alius voculam vnam in omnibus Cęſaris & Liuij libris oſtẽdat, vel ad Francorum nomen, aut gentem, vel ad hoc propoſitum pertinentem: vicerit Matharellus, & palmam tulerit. Sed Noſtradamę prius altas Sequana turres Trãſiliet, quã aut Maſſonus aut Matharellus hoc oſtendat: aut illud quod ſequitur: Beatum Rhenanum idem putare, qui tamen in omnibus ſuis libris tam iracundè & ſtomachosè nos Gallos irridet, qui aliunde quàm ex Germanis noſtram originem repetamus. Diſputat poſtea Matharellus Germanos alios fuiſſe, alios verò Alemannos. quod neque ad propoſitum pertinere, neque cuiquam niſi imperito vnquam dubium fuiſſe, quis ignorat? Itaque quod integras paginas ex Ammiano ſubiũgit, ex quibus probet bellum geſtum cum Germanis non fuiſſe bellum cum Francis, planè abſurdum eſt. nam idẽ auctor alio loco dicit, Alemãnos dictos fuiſſe primùm à Lemanno lacu, à quo & Germani & Franci antiqui longiſsimè remoti fuerũt. Sed iſtud argumẽtũ in qua figura, aut in quo modo eſt? Alemãni & Germani fuerunt diuerſi populi: quia Iulianus Imperator bellauit cũ Alemannis adiutus à Francis. pag. 23. Ergo Frãci Germãni & Alemanni nõ fuerunt vnus populus. pag. 25. Tranſeo ad c. 5. in quo tuus aduerſarius oſtenderat plurimos antiquos ſcripſiſſe, Frãcos dictos eſſe liberos & immunes,

& vocẽ Germanicã idem etiã hoc tempore ſignificare. Hoc nõ probat Matharellus. At probarunt Gregor. Tur. Abbas Vrſperg. Sigebertus, Ado Viẽnenſis, Gothfredus Viterb. Rurſus Matharellus non probat quod dixerunt Francos à ferocitate denominatos fuiſſe. Et certè nec ego, ſiquis diceret Matharellum denominatum quaſi paruulum fatuum Italicè: quia Matharellus non eſt paruus fatuus, imo magnus. ſed tamen probabile eſt, ſcriptores illos ſemilatinos, cùm Franci propter ferocitatem animi & virtutem tributa Romanis ſoluere recuſarent, & ſe immunes profiterentur, ad illud ferociȩ nomen alluſiſſe, vt multos in Matharelli nomine ludere quotidie illo modo videmus. Sequitur cap. 6. in quo Matharellus dicit Hotomanum velle reducere in vſum antiquum morem eligendi Reges. imò Matharelle, introducere nouum morem eligendi archifatuos Regis: ne tibi fiat iniuria ſi aliquis tibi præferatur. Vbi verò vlla iſtius reductionis vel tenuiſsima mentio fit in toto libro Francogalliæ? At ille (inquies) aſſerit hanc veterum conſuetudinem fuiſſe. cur ergo hiſtoriales libri ſcribuntur, ſi non liceat illos allegare? l. j. ff. de cadau. punit. ſed quid tum poſtea? Idem aſſerit & probat Reges antiquos longum capillitium mulierum more aluiſſe: carpento bubus iuncto ad populi comitia deduci ſolitos fuiſſe: iccircóne intendit illam conſuetudinem reducere? Inquãtum verò tu dicis, quod nec ex aliis innumeris teſtimoniis probari poteſt, populum illam auctoritatem habuiſſe, nec ex Carolimagni teſtamento, verba ipſius teſtamenti forma

malia audiamus: Quod ſi filius cuilibet horum trium filiorum meorum natus fuerit quem populus eligere velit vt patri ſuo in Regni hæreditate ſuccedat, volumus vt conſentiant patrui ipſius, & regnare permittant filium fratris ſui in portione regni paterni. Plurimos alios locos citat Hotom. quibus ſuum dictum fundauit: ſed præter illos, allego Hunibaldum omnium antiquiſsimũ, quem protunc ille nõ viderat. Anno (inquit) Dominicæ natiuitatis ccccv. omnes duces, proceres & nobiles Francorum in menſe Martio conuenerunt apud Neopagum pro noui Regis electione facienda. Et infra, Hi omnes cum ceteris vno conſenſu Pharamundum de regio genere ortum vnanimiter in Regem elegerunt. Inquantum autem Matharellus dicit, nullos niſi Regum filios aut propinquos agnatos ſucceſsiſſe: audiamus Sigebertum, qui ſub anno 890. dicit Francos Regis fiium excluſiſſe, & alterũ elegiſſe. Franci (inquit) neglecto Carolo Ludouici Balbi filio, puero vix decenni, Regem ſibi præfecerũt Odonem filium Roberti Ducis, quem à Normannis occiſum ſuprà diximus. Audiamus Reginonem, qui lib. j. ſic loquitur: Sub anno 925, Carolus Simplex Rex Franciæ in cuſtodia, qua tenebatur, obiit: qui fertur vir hebetis fuiſſe ingenij, & minus aptus vtilitatibus regni. Omnes etiam à filio eius deficientes, quendam Rudolphũ ſibi Regem eligunt. Aimoinus autem filium eius appellat Ludouicum: Rudolphum verò dicit fuiſſe filiũ Richardi Burgundiorum ducis. Ex eodem ſtultitiæ genere eſt, quod Matharellus pag. 40, ſcribit, Non eſſe bo-

num argumentũ quia Childericus rex ob facinora pulſus eſt à populo, ideo in populi poteſtate fuiſſe Reges eligere. Præterea illo tempore Francos idololatras & non Chriſtianos fuiſſe. Quid? annon qui dãnare poteſt, poteſt & abſoluere? l.3. ff. de re iudic. annon cuius eſt actionem denegare, eius eſt & dare? l. qui vetant. ff. de reg. iur. eius eſt repudiare hæreditatem cuius eſt acquirere? l. is poteſt. ff. de acq. hære. Sed audiamus Hunibaldum. Anno, inquit, regni ſui ſexto conſpirantes contra eũ principes & proceres Francorum, propterea quòd inſolenter & nimis luxuriosè viuẽs, vxores & filias nobilium plures vitiaſſet, voluerũt eum occidere. quod cùm ei innotuiſſet, cum paucis occultè fugit in Thoringiã. Pòſt Franci quendam Aegidium ſibi conſtituerunt in Regem: qui regnauit annis 8. quem Franci denuo nimis tyrãniſantem & proceres quoſque crudeliter occidentem, tolerare diutius non valentes, eiecerunt. Idem Hunibaldus alio loco. Theodoricus otio & inertiæ deditus, omnia negotia Regni per Comitem Palatij, quem Maiorem domus nuncupabant, diſponere cœpit. Huius maior domus fuit Ebervvinus homo ſceleratus & impius, qui multa fecit mala: quibus commoti proceres Frãcorum, Theodoricum à regno deiiciunt, & tam ipſum quàm Ebervvinum ſeparatos ab inuicem ad duo monaſteria intrudunt. Et mox: Hildericus duorum Regum præcedentiũ frater medius, & Clodouei filius, deiecto à regno Francorum Theodorico fratre iuniore, procerum electione ad regnũ de Auſtraſia vocatus, regnauit annis paucis:

qui

qui cùm eſſet moribus aſper & multis nobilibus Francorum odioſus, in venatione occiſus eſt. &c. Quid igitur ad iſtas auctoritates reſpondet Matharellus? ſcribit pag. 34. debuiſſe Iuriſconſultum animaduertere iura aptari ad ea quæ frequenter accidunt, non quæ perraro. & pag. 42. ea quę raro accidunt, non trahenda eſſe ad exemplum. Sed quorſum, obſecro, iſta diſputatio pertinet? Narrantur in Francogallia multa exempla Regum à populi ſtatibus & comitiis condemnatorum & depoſitorum. Hi autem ſunt, Childericus, Eudo, alter Childericus, Theodoricus, Chilpericus, Carolus Craſſus, Odo, & Carolus Simplex. Nihil autem iſtud ad præſens tempus: ſed ad demonſtrandam antiquorum temporum hiſtoriam. Nihil, inquam, iſtud pertinet ad bonos Reges & pacificos, ac manſueto ingenio præditos, qui ſuos ſubiectos tanquam filios amant, viciſsimque à ſuis ſubiectis tanquam à filiis redamantur: vt pulchrè notat Iohan. Fab. in l. j. C. de ſum. trin. vbi allegat dictum Senecæ: Nullum clementia ex omnibus magis quàm Regem & principem decet. & ſubdit, Crudelem dici principem, qui etſi cauſam puniendi habet, tamen modũ non ſeruat. Ergo, ſiue raro (vt vult Matharellus) ſiue ſæpe (vt hiſtorici teſtantur) iſta iudicia acciderint, aut libri veteres extinguantur oportet, aut hæc ſtudioſis hominibus & legere & allegare, & commemorare liceat. ſophiſtis autem & calumniatoribus falſas inde conſequentias trahere, nullo iure permittitur: quia verba intelligi debent reſpectu quo prolata ſunt. gloſſ. in l. debitor, §. fin. ff. ad Trebell. Decius conſil. 283, circa princip. & quic-

quid agant homines, intentio iudicat omnes. l.1, vbi gloſ. & doct. C. ad leg. Cornel. de ſicar. Quãquam, quorſum iſta omnia verba pertinent? aut quid intendit Matharellus? Nullum eſſe ius populi Francici in regnum aut regem? Concedo: & etiam illud de ſuperabundati concedo (ſi vult) quòd reges antiqui habebant plenum dominiũ, arbitrium, iudicium, poteſtatem: & quòd non ſine myſterio legiſlator recitat, quod euenit nouiſsimè, vt neceſſe eſſet reipublicæ per vnum cõſuli: & iſtum vnum nominat principem. l.2, §. nouiſsimè, ff. de orig. iur. Certè, ſi Matharellus dilucida interualla habuiſſet, iſtum textum rotundũ & formalem allegaſſet. ſed audiat nunc quid inferatur. Qui habet plenum dominium, idem habet ius arbitrio ſuo de rè ſua diſponendi, tam inter viuos, quàm per teſtamentum: quinimò diſperdendi, diſsipandi, dilapidandi. l. ſtatuas, C. de relig. l. ſed etſi lege, §. conſuluit, ff. de her. pet. quia vnuſquiſq; eſt moderator & arbiter rei ſuæ. l. in re mandata, C. mand. Sed iam conceſsimus, quòd rex habet plenum dominium. ergo deminuere de ſuo regno, ſcindere, ſecare, amputare ad ſuum libitum poteſt, propter plenitudinem poteſtatis: quinimò ſi velit, etiam quemlibet extraneum hæredem in illo inſtituere: neque ligua, fœdere aut pactione vlla vel publica vel priuata illã teſtandi poteſtatem ſibi poteſt adimere. l. cum duobus, 52, §. idem reſpondit, ff. pro ſoc. At in contrarium formalia verba Baldi hæc ſunt in c.1, §. generali, nu.2, tit. Si de feud. fuer. contr. Quæro, an rex Franciæ poſſet alienare vnam de ciuitatibus Franciæ inuitis ciuibus? Re-

ſpōdeo quòd non, ſecundùm Hoſtienſem, qui ita notat, Ext. de maior. & obe. c. dilecti filij. Et ita refert & ſequitur Paponus in arreſt. lib. 5, tit. *de donation du Roy:* his verbis; *Le Roy ne peut aliener aulcune choſe de ſō domaine de ſoymeſme: ains eſt requiſe vne pragmatique ſanction, qui eſt proprement vne deliberation des principaux & gouuerneurs du royaume.* Sed quia ego de his non multùm curo, & culpa eſt immiſcere ſe rei ad ſe nō pertinēti, ideo volo iam tranſire ad caput 7, vbi Matharellus (vt quidam Humaniſtæ nuper dicebant) nouam latinitatem introducens, dicit, Scriptorem Francogalliæ velle toties expertas ſeditiones rediuiuas facere: & ſubiungit, inconſtanter quęri ab eo quid iuris ſit in hereditate regni Francici, qui antea diſputauit illud Electione non hæreditate deferri. O Matharelle protofatue, quibus verbis aduerſarius tuus vtitur? Non eſſe relictum quæſtioni locum: vtrum regnum æqualiter in plures filios ſit diuidendum (ſicuti ius feudale præcipit lib. Feud. 1. tit. 8, de ſucceſſ. feud.) an verò primogenito Regnum attribuendum, vt fuit mos Gallorum in feudis & allodiis, ſicuti aduerſarius tuus ex Ottone Friſing. comprobarat. Et addit idem: Nam quum penes ſtatus poteſtas eſſet creandi & abdicandi reges, in eiuſdem arbitrio erat, vni vel pluribus ſucceſsionem deferre. Sed tamen ſi vni regnum deferatur, quid fiet cęteris? aut ſi remotiori, vel cuiuis extraneo, quid relinquetur regis filii? Hanc quæſtionem tractat aduerſarius tuus à ſuperiore non abhorrentem, ſed valde conſentientem & conſenta-

neam. Poſtea dicit quòd verum eſt aliquoties accidiſſe, quòd regnum inter filios defuncti diui deretur: ſed quòd alter alterius imperio graſſaba tur (ſatis malè Latinè, vt Ciceronianus quidam dicebat, pro Inſidiabatur) & quòd bella interdũ ex illis diuiſionibus nata ſunt. Quid hoc ad hiſto ricum & ſimplicem narratorem & recitatorem veterum conſuetudinum regni Franciȩ? An tu ignoras, quòd alia eſt quȩſtio facti, alia iuris? Hiſtoricus Francogallicus tractat de facto, tu facis conſequentias de iure, quæ fundantur in ſtulta imaginatione tuæ mentis, ſicut in niue alterius anni. Verum quidem eſt, quòd ex facto ius oritur? l, ſi ex plagis, §. in cliuo, ff. ad leg. Aquil. & ideo vt poſsit de iure reſponderi, opus eſt quod factũ apertè narretur. l. vt reſponſũ, C. de trãſact. vnde dici ſolet, quod ex modica facti variatione, totũ ius variatur. l. ea eſt natura, ff. de reg. iur. nec poſſumus bene cõſulere, niſi facto prius cognito. l. arethuſa, ff. de ſtat. hom. Sed quis de iſto iure vel Matharellũ, vel Maſſonũ, vel aliquẽ ſuorũ Verſificatorum conſulit? vbi eſt proceſſus de tali negotio? vbi ſunt partes quæ de iſta vel hæreditate, vel electione contẽdunt? &, ſicut eſt ſupra dictũ, Valétne conſequẽtia: Quia reges olim longos & treſſatos crines habebant, ſicut nũc puellæ apud Suitenſes & Allemãnos: ideo ille modus faciendi eſt in vſum reuocandus. & quia fuit olim conſuetudo Pariſius, vt mariti cucurbitati ducerentur ſuper aſinos retrogadi, ideo Matharellus ita ducendus eſt per vicos cum chariuari & irriſione puerorum? Et quid faciemus, ſi non liceat no-

bis allegare hiſtorias,& credere libris hiſtorialibus? vt eſt text. expreſſus in l.1,ff.de cadau.punit. & bene Ioh.Fab.in l.1, C.de ſumm.trin. quòd illa quæ antiquitus,& vltra curſum vitæ hominum facta ſunt,probantur per hiſtorias & chronica, & communem relationem: vbi allegat l. fi. ff. de reb. dub. & §.1, Inſt. de donat.& notat Speculat. tit. de probat. §.1, & facit ext. de tranſlat. epiſc. c.quanto. Quinimò antiquitas habet vim legis, vt plenè notat Hoſtienſis in d. c. quanto.facit l. pergit, C. de ſep. viol. & §,fi.Inſt. de adopt. Sed hîc incurrit aliud quod eſt aduertendum. Nam Matharellus pag. 46, dicit aduerſarium ſuum deprauaſſe locum Aimoini lib.4,cap.17. Videamus quomodo deprauarit. Quæſtio eſt,vtrum Dagobertus ſolus in Francia regnarit (vt dicit Francogalliſta) an ipſius frater Aribertus regni partem habuerit: vt dicit Matharellus. Certè iſta quæſtio pronunc tantæ eſt importantiæ, quàm ſi quæreremus, vtrùm ſanctus Eutropius canebat Miſſam in thorace & caligis, an cum toga & colobio? Nam ſiue duo tunc temporis regnarunt,ſiue vnus ſolus,nihil refert. quia vtrũque aliquoties accidiſſe, Francogalliſta docuerat eod. cap. 7. Sed quia propter noſtrum affirmare vel negare, nihil mutatur in re: gloſſ. l. aſſumptio,ff.ad municip.audiatur teſtis idoneus, ex cuius authoritate quæſtionis deciſio pendeat. Ille autem eſt Otto Friſing. lib. Chron.5,cap.9, vbi in terminis ſic ſcribit: His diebus, Lothario mortuo, Dagobertus (excepto quòd fratri ſuo Heriberto circa Ligerim quaſdam vrbes ac pa-

gos dimiſerat) ſolus regnauit. Audiatur etiam Godfridus Viterb. Dagobertus (inquit) Clotarii filius ſolus in Francia regnabat: ſed fratri ſuo circa Ligerim fluuiũ paucas vrbes & pagos dimiſerat: à Clodoueo enim vſque ad id tempus, regno Francorum inter filios multifariè diuiſo, confuſè regnatum eſt. Dagobertus autem vnicus rex Francorum leges Bauaris dedit. Hæc illi. Videamus nunc quid dicat Aimoinus. Verba enim Matharelli hæc ſunt, Non ſcribit Aimoinus Dagobertum regem dediſſe vrbes & pagos fruendos Ariberto fratri ſuo, neque pepigiſſe cum eo vt priuato contentus habitu, nihil ampliùs de paterno regno ſperaret. Hæc ſunt Matharelli verba. Audiantur iam verba Aimoini cap. 17, lib. 4, & iudicetur vtrùm Francogalliſta ſit deprauator, an Matharellus calumniator. Collatáque ei prouincia quæ à ripa Ligeris Vaſconiam verſus extenditur, pactum cum eo pepigit, vt priuato contentus habitu, nihil amplius de paterno ſperare deberet regno. Quas autẽ vrbes illi Dagobertus dederit, exponit & enumerat Regino lib. Chron. 1. Sed enim (dicit Matharellus) paulò ſuperius Aimonius ita ſcripſerat: Dagobertus amicorum conſilio fratrem ex parte conſortem regni fecit. Reſpondeo, quòd Aimoinus regni conſortem appellat, non reſpectu Coronæ, & iuris, & tituli, ſed reſpectu adminiſtrationis. Primùm, quoniam incompatibilia ſunt, priuato habitu contentum eſſe, & regem eſſe. deinde quia paulo prius Aimoinus ita ſcripſerat, Ardebat Aribertus frater regis aliquid ſibi

publicorum committi munerum. Et mox ita infert. Rex tactus corde atque reſpectu fraternæ compaſsionis ad miſerationem inflexus, amicorum conſilio fratrem ex parte conſortem regni fecit:id eſt participem adminiſtrationis. Verum eſt quòd poſtmodũ Aribertus illam Aquitaniæ adminiſtrationem adeptus, fidem fregit. Nam (inquit Aimonius) totam Vaſconiæ terram ſubegit, & ſedem regni Tholoſæ deligens, regnum ſuum latius effecit. Non igitur ex pactione & conſenſu rex factus eſt, ſed vi, armis, & bello regni nomen & ditionem vſurpauit. Similis ſtultitia eſt pag.47, vbi Matharellus ait, Hotomanum noluiſſe inſerere in ſuo libro locum Agathii, vbi de Francis loquitur, & filiorum in regno ſucceſsione: quaſi verò non Hotomanus Agathium legerit antequam Matharellus eius autoris nomen vnquam audiſſet: vel non illum Agathii locũ in propriis terminis allegarit hoc eod.cap.7, pag.62. Sed non addidit (inquit Matharellus) verbum iſtud Agathii: Morem fuiſſe apud Francos vt ex parentibus filii regna ſuſciperent. In quo Agathii dicto Matharellus ita ſuam victoriam & triumphos fundat, quaſi fabã reperiſſet in libo Regum. Sed quã cõſequẽtiam inferet Matharellus ex his verbis? an quod regnum Franciæ non à ſtatibus regni, ſed hæreditate deferebatur? At Hunibaldus, Regino, Gregorius, Aimoinus, Sigebertus, Otto Friſing. Gotfridus Viterb. Eguinarthus, Abbas Vrſp. & alij omnes vnanimiter innumeris locis id teſtantur. Mortuo Pipino (inquit Eguinarthus Ca

roli magni Cancellarius) Franci facto ſolenniter generali conuentu, ambos ſibi eius filios reges conſtituunt, ea conditione, vt totum regni corpus ex æquo partirentur. Aimoin. lib. 4, c. 67. Mortuo Pipino, Franci facto ſolenniter conuentu, ambos ſibi eius filios reges conſtituunt. Gregor. Tur. l. 11, cap. 101. Mortuo Theodorico rege, Franci Clodoueum filium eius paruulum elegerunt in regem. Loca ſunt eiuſmodi innumera, ex quibus ponderando iſtud verbũ, ELEGERVNT, & obſeruando iſtud fieri ſolitum in ſolenni conuentu, & quòd multi reges propter crudelitates & ſimiles inſanias depoſiti ſunt, rationabiliter & certitudinariè concluditur, quod olim, quondam (dico tibi Matharelle) olim, quondam, antiquitus, in illo tempore, apud illos maiores noſtros conſuetudo fuit, vt Regnũ electionis, non hæreditatis iure deferretur. Sed clamat & vlulat Matharellus in pluſquam centum locis ſui libri, quod Agathius expreſsè ſcripſit, quòd filij regum ex parentibus regna ſuſcipiebant. Sed in Francogalliæ cap. 6, pag. 47, reſponſum fuerat, quòd Frãci vt plurimùm Regũ filios bene & regaliter educatos & inſtitutos eligebant, quum eos paterna dignitate dignos iudicabant: quòd etiam Poloni, Dani & Sueci hodie faciunt: quanuis electiuum ſit apud eos regnum, non hæreditarium. Sic enim tanto magis admonẽtur Reges ſuos filios bene inſtituere. ſed tamen oportebat quòd illa ſucceſsio comitiis regni conuocatis de communi ſtatuum ſententia comprobaretur. Certè pauci ſunt ex ſcripto-

ribus

ribus antiquiores Liutprando Leuita Ticinenſi: nam ſunt ferè ſeptingenti anni quòd ſcripſit. Is tamen lib.1,cap.6,narrat, quòd mortuo rege Ludouico Balbo,anno 890. Franci,omiſſo ipſius filio Carolo,Odonē Roberti Ducis filiū ſibi regē crearunt. Odonem (inquit) cunctis petentibus elegerunt. Allegaui etiam paulo ante paſſum vnum notabilem ex Reginone,ſub anno 925: vbi dicit, quòd mortuo Carolo Simplice, Franci non ipſius filium Ludouicum, ſed Rodolphum Ducis Burgundiæ filium ſibi regem elegerunt. Sequitur cap.8,quod eſt de lege Salica,vbi Matharellus habuit intentionem iacere aduerſario ſuo catum ad tibias: ſed ille habet ſuos alibiforins: & non habet defectum replicatuum. Ergo quod Matharellus dicit,incertum eſſe quo tempore lex Salica lata fuerit: cui tandem, Aſine de Aluernia,iſtud incertum eſt? nam præfatio breuis in illius legis principio poſita,omnibus oculos & ſenſum communem habentibus id oſtendit.Quòd verò poſtea duas ex Agathio paginas tranſcripſiſti, vt probes Francos præclaris legibus & inſtitutis eſſe vſos,quid hoc ad propoſitum? nam quod ex eodem dicis,Theobaldum Theodeberti regis mortui filium patria lege ad paternum regnum vocatum fuiſſe, aut ita vt ſuperius dixi intelligendum eſt,mediantibus ſcilicet populi Comitiis & ſaluo iure Statuum,vt omnes alij teſtantur: aut fides omnibus ad vnū Chronographis, Annaliſtis, & Hiſtoriographis abroganda eſt: quorum tamen magnam par-

tem fuiſſe monachos, clericos & preſbyteros fatetur tuus ille Papirius Maſſonus, monachali cuculla cum illo ſuo iudicio dignus:vt intelligat verum eſſe quod dicit Speculum preſbyterorum:Iudicium quale facies, dabitur tibi tale. Et eſt aureum dictum Barbatiæ, quòd iudex debet iudicare ſecundum ſal ſcientiæ & conſcientiæ:alias mens eius eſt diabolica & inſipida, Barbat.in c.quoniam, §.in aliis, Vt lit.non conteſt. Quod ſi Maſſonus fuiſſet tam bonus & fidelis amicus Matharelli, quàm ipſe dicit, nūquam illam Latinitatem in ipſius libro reliquiſſet pag. ſequenti, quæ eſt pag. 52. Lubenter illum locum de libro Agathii expunxiſſes, vt tuū commentum veritatis vmbram prætexeret. Nā (vt iſti Latiniſtæ dicunt) quis vnquam ita loquutus eſt, Tuum commentum veritatis vmbram prætexit? Ex eodem fatuitatis ſterquilinio natum illud eſt quod ſubiicit Matharellus: Quia Poſtellus (dignum patella operculum) Chopinus & Gaguinus dixerunt legem Salicam fuiſſe latam regis Pharamundi tempore, ideo ſe id credere. At tuus aduerſarius pagina 69, teſtatus erat iſtud in terminis reperiri in præfatione prædictæ legis Salicæ. Sed quid cum huiuſmodi aſino vel mulo Aluerniæ diſputamus? Annon miſerum eſt diſputare de lege Salica cum eo, qui nunquam illam vidit? Nam ſi legiſſet, animaduertere potuiſſet eam poſitam eſſe ſub titulo, De Alodis, tit. 62. Alodas autem, ſiue Allodia, verbum eſſe vetus Francicum, id eſt Germanicum, quo ea prædia ſignificantur quæ,

non feudi, ſed patrimonii iure tenentur. Et per hoc intellexiſſet, legem illam non modo ad regni hæreditatem non pertinuiſſe (quod tamen Matharellus, communem errorem ſequutus, manutenere vult) ſed ne ad feudales quidẽ ſucceſſiones. Vidiſſet etiã totũ illum librum legis Salicæ nulla ex parte pertinuiſſe ad leges ferendas de regno, ſed tãtùm de priuatis rebus: vt in illo cap. de priuatis hęreditatibꝰ: quod etiã tibi clarius docere potuiſſet ſimilis lex de filiabus excludendis inter leges Ripuariorum tit. 58, & item Angliorum. tit. 7. Et hoc loco non pudet te Matharelle impudentiſsime, quum ſis procurator Reginæ matris, tamen pag. 52, obiectare tuo aduerſario, quòd contra morem maiorum velit fœminas ad regni ſucceſsionem vocare (de quo credo, quòd ille bonus homo nunquam cogitauit) quum tamen inter omnes (ſubdit Matharellus) autores conueniat, nullam fuiſſe gentem quæ minus paſſa ſit mulieres regnare, quàm Francogallos: quæ verba ſi non apertam Matharelli præuaricationem oſtendunt, neſcio quid poſsit oſtendere. Implicant etiam notoriam contrarietatem cum iis quæ in laudem Reginarum matrum latè Matharellus diſputat cap. pen. vt ibi dicemus. Vnum tamen eſt mirabile dubium, quod multum facit pro lege Salica, & quod ille Claudius Scyſſellus Archiepiſcopus teſtatur fuiſſe allegatum inter alia motiua in Parlamento trium Statuum pro Philippo Pulchro contra regem Angliæ. pag. 88: quòd

ſi Papa veniret in Franciã, ipſe caneret Miſſam, Rex autem deberet canere Euangelium. quòd ſi mulier teneret regnum, quid eſſet faciendum? nònnne hoc eſſet magnum inconueniens? Hæc ſunt verba præallegati libri, pag. 88: vbi etiam adiungit, quòd Regina non poſſet ferre in bello contra infideles l'Oriflan. Iſta ſunt magna inconuenientia: ſed primum eſt grandius & ſcãdaloſius: quia oporteret quòd Miſſa caneretur à Papa, ſine Euangelio: aut quòd fœmina caneret Euangelium, & gereret vices Diaconi: quum tamen nec vllum actum illius ordinis poſsit exercere. c. noua, de pœnit. & rem. nec tangere ſacra vaſa: 23, diſtinct. ſacrat. nec ſacratas pallas contingere, aut Incenſum circa altaria deferre. d. c. ſacratas: nec confeſsiones audire, aut aliis benedicere. d. c. noua, de pœn. & rem. nec viri habitu (Diaconus autem eſt maſculini generis) ídque ſub pœna anathematis. 30, diſtinct. c. ſiqua mulier. Quibus autem caſibus poſsit magiſtratum gerere, eſt pulchra & ſolennis gloſſa, 14, q. 3, §. 1. Sequitur caput 9, quod Matharellus ſcribit fere totum ſumptum eſſe ex B. Rhenano, Agathio, Turonẽſi, & Aimoino. Diſpereat Matharellus, niſi verba illa oſtendunt eum credere B. Rhenanum illorum contemporaneum fuiſſe. Nam ſi verſiculus vnicus iſtius capitis reperiri poſsit apud B. Rhenanum, non recuſo quin Maſſonus ſua definitiua ſententia victoriam illi adiudicet. Quantùm ad cæteros hiſtoriographos, & vnde tandem velles obſeruationes iſtiuſmodi colligi, niſi ex antiquis

chronographis? Quinimò quod pag.58, ſcribit Hotomanus, maiorem partem ſui libelli ex Beato Rhenano excepiſſe: dato & non conceſſo quòd ita ſit, attamen Matharellus fatetur ſuum aduerſarium doctiſsimi viri autoritatem ſequutum eſſe. quod ſi ità eſt, cur non potius contra Rhenanum inſurgit, quàm contra Hotomanum? poſtremò, cur non oſtendit ad digitum iſtas exceptiones, vt ipſe loquitur, id eſt tranſcriptiones: & vtriuſque ſcripta confrontat, vt aduerſarium ſuum furti & plagij conuincat? Neque verò minor fatuitas ſequitur, quum Matharellus ſcribit, mirari ſe, quòd Hotomanus tam fœdè lapſus ſit, vt exiſtimet Clotildem reginam matrem maluiſſe potius caput quàm comam nepotibus ſuis abſcindi. At Gregorii Turon. verba formalia hæc ſunt: Maluit autem illa interfectos videre, quàm tonſos. Inquantum autem Matharellus ait illam reginam tam aſperam, cruentámque mortem filiis (imò nepotibus) optaſſe, potius quàm eos tonſos videre, non propter comam quæ breui renaſci poterat: ſed quia tonſura iſta erat detruſio in monaſterium & clericatum. O bardocuculle, cucurbitabilis, Aſinomatharelle, annon te tantæ fatuitatis pudet? primùm qui Reginam illam matrem excuſes quòd ſuos nepotes occidi maluerit, quàm monachos fieri: quum eam ex Gregorio dicas bonis operibus præditam fuiſſe? deinde qui non infinitis locis animaduerteris, tonſuram in pueris regiis non vtique fuiſſe monachatus initium: ſed priuilegii & iuris in regnum ſuccedendi

priuationem: velut apud Gregorium Turon. lib.6,cap.44: Franci ſuper eum conſurgunt, ac eum de regno deiiciunt, crinéſque capitis eius, vi abſtrahentes, incidunt. Sed & apud Aimoinum lib.3,cap.61: Incidi eius præcepit capillos, hunc ſuum negans filium fuiſſe. Et mox: Iterum inciſis crinibus Coloniæ in cuſtodiam traditur. Sed alia ſunt eiuſmodi loca innumera, quæ in re tam euidenti non proferemus. nam quod patet expreſsè, non eſt probare neceſſe: vt notatur in l.cuius, C.de appellat. Et homo tam fatuus & tam excerebratus audet poſtea duas paginas implere ſtulta & futili diſputatione aduerſus vnum verbulum, vbi dictum erat, videri Clodomirum ab Agathio dictum, pro Clodoueo, in quæſtione vbi agitur de crinibus. Et quid tandem intereſt ad ſummam huius diſputationis, vtrum Clodoueus, an eius filius Clodomirus comam regio more aluerit? Sed fallentiæ cauſam dederat, quòd poſt Clodoueum non Clodomirus, ſed Childebertus rex Franciæ in Annalibus noſtris omnibus nominatur. Denique vbi de re conuenit, hoc eſt, de iure Regalis capillitij: non multum curandum eſt, vtrum Clodoueus an Clodomirus nominetur: neque verba ſunt attendenda ex quibus nullus ſequitur effectus. l.vn. in fin. vbi gloſſ. C.de dedit. lib. tol. Intro iam in caput x, in cuius initio Matharellus vlulat, aduerſarium ſuum velle Gallicam monarchiam euertere: & eò tendere omia ipſius artificia & dogmata: quæ verba dico eſſe clara & euidentia fatuitatis teſtimonia: quū

tantum aduerſario ſuo, qui nihil niſi de ſuis libris cogitat, virium & roboris & authoritatis attribuat. Certè neque in illo tantum eſt virium, vt regnum labefactet: neque in te tanta firmitas, vt labefactatum ſuſtineas. Denique vulgare eſt dictum: Nemo velle videtur, quòd ſibi impoſsibile eſſe cognoſcitur. l. Lucius. §. Imperatores, ff. ad municip. l. ſi tibi, §, vnius, ff. de opt. legat. Vtrum autem falſum ſit, an verum, quod ille tanquã ſimplex hiſtoricus, vel potius hiſtoriarum obſeruator narrat, Reges olim à populo & creari & abdicari ſolitos, æqui lectoris iudicium arbitriúmque eſto. Illud certè quod ſubinfert, Matharellicæ ſtultitiæ teſtimoniũ eſt euidẽtiſsimum: Illuſtrẽ (melius dixiſſes, illuſtriſsimũ & potentiſsimum) principem Palatinum iſtas fabulas & nugas pati, quibus tamen ſui ad pileum vocentur: quaſi verò inſtituta & conſuetudines alterius nationis, alicui principi diuerſæ nationis, præiudicent. Tu ipſe Matharelle, dicis Polonos retinere ius electionis. Quid igitur ad Polonos pertinebit tua tam cholerica diſputatio de ſucceſsione Francorum hæreditaria? Tu dicis pag. 52, nullam fuiſſe gentem quæ minus paſſa ſit mulieres regnare, quàm Francogallos. Quid hoc reginis Angliæ aut Scotiæ aut Hiſpaniæ præiudicare poteſt? Tu pag. 126, ſcribere auſus es, legem Salicam, quæ mulieres à Regni hæreditate excludit, eſſe naturalem, neque quicquam eſſe melius, & ad naturam accommodatius, quàm hominem (virum, voluiſti dicere) caput fœminæ, regnare. Annon

hæc tua verba formalia ſunt? an de meo quicquam adieci, vt Papyrius? Quæro nunc ex te: Putáſne quòd sereniſsima Angliæ regina tuo iſto fatuo & temerario dicto indignabitur, quaſi ſuos ſubiectos ad pileum voces: vt tu blatteras? Non certè magis, quàm ſi cum tuo viridi capitio & auriculato in palatium eius ingreſſus, buffonis more tripudiaſſes. Quinetiam cum iſta tua ſufficientia oratio Latina tua conſentit. Nemo (inquis pag. 63) negare audet illud proprium regibus omnibus non fuiſſe, pro, Nemo negare audet illud proprium regum omnium fuiſſe. ſed vt ad illud redeamus, quid ad exteros principes pertinet diſputatio de iure alterius patriæ? quaſi verò non omnes ſciant, quòd varia & diuerſa eſt regnorum & principatuum conditio. Alii reges à populo eliguntur: alii ex paterna ſucceſsione regnum adipiſcuntur: alii de plenitudine poteſtatis liberè & ad placitum omnia diſponunt: vt Turca: alii ſine Statuum conſenſu nihil diſponunt: vt Polonus. Sed ponam exemplum de inuictiſsimo & glorioſiſsimo Imperio Germanico. ſi Matharellus eſt baccalaureus in Iure ciuili, ſicut ego ſum in canonico, debet iſta ſcire: quòd Imperator dicitur dominus totius mũdi: l. deprecatio, ff. ad leg. Rhod. de iact. l. bene à Zenone, C. de quadrien. præſcript. dicitur ſanctiſsimus & nobiliſsimus. l. quæris. ff. de natal. reſtit. dicitur Optimus Maximùſque princeps. l. qui ſolidum, §. 1, ff. de legat. 2. perſonarũ omniũ ſupremus, l. pen. C. de bon. quæ lib. Lex in terris animata. §. fin. auth. de conſulibus. & cõmunis

omnium pater.auth.neque vir.quòd ex dot.Omnia ſunt in poteſtate Imperatoris. 8. diſtinct. c.quo iure.23,q.8,c.conuenior. Omnes principes ei ſubiecti ſunt,7,q.1,c.in apibus. omnes nationes ei ſubſunt. 11, q.1, c. volumus.& omnes prouinciæ.63, diſt. c. Adrianus. Perſequendo quinetiam deciſiones gloſſarum & doctorum, Imperator eſt vnicus in orbe Romanorum rex & imperator.gloſ.in c.venerabilem,in verbo,In Germanos,de elect. c.ſi Imperator,86, diſt. ſolus ex propria iudicat conſcientia.Barth.in l.1, C.vt quæ deſunt aduoc. Imperatorem qui diceret non eſſe dominum & monarcham totius orbis,eſſet fortè hæreticus : vt in terminis per Barthol.inl.hoſtes.nu.7,ff. de captiu.& poſtlim. Imperator appellatur ſanctiſsimus, ſicut Papa: & alibi dicitur religioſiſsimus:vt notat Paul. de Ca.in l.cùm Syllanianũ,nu.4,C.de his quæ vt indig. Imperator ſolùs etiam ſine conſilio procerum poteſt legem condere:vt idem Paul.not. in l.fin.nu.2,C.de legibus.Imperator aliquando appellatur ſacratiſsimus, aliquãdo ſanctiſsimus, & aliquando Deus in terris.Idem Paul.de Caſt. in rubr. C.de nouo Cod. compon. num.5. Audis hæc omnia Matharelle? quum tamen hæc omnia nos & Legiſtæ & Canoniſtę dicamus,nihilominus tamen limitantur multa in Bulla Aurea,quæ eſt de iure Imperii Germanici: quam ſi videas,facilè cognoſces quòd non omnia quę de vno principatu dicuntur, intelliguntur de alio.quinimò non omnia quæ de vnius regni ſtatu quondam dicebantur, etiã de hodierno ſtatu

dici poſſunt.ſed quòd verba quæ de aliquo pronuntiantur, debent intelligi rebus ſic vt protunc ſtantibus: vt not. gloſſ. in l. quòd Seruius, ff. de condict. ob cauſ. in verbo poteſt. Poſtea Matharellus tres aut quatuor totas paginas replet inepta diſputatione, quòd Monarchia ſit melior quàm Ariſtocratia & Democratia. quæ diſputatio qua ex parte ad propoſitum pertineat, diuinare non poſſum: quum Hotomanus tantis laudibus maiorum noſtrorum in Monarchia conſtituenda ſapientiam prope in cœlum extulerit. Quum autem multa ſint in illis paginis fatua & ridiculoſa, tum illud in primis, quòd ſcribit pag. 71, his verbis: Franci ſemper fuerunt orthodoxæ fidei Chriſtianæ & catholicæ. Benedictus Dominus! Certè ſi Matharellus legiſſet Saluiani Epiſcopi Maſsil. librum 4, pag. 24, & pag. 25, qui & inter Gallos erat, & Gallis prædicabat, & de Francorum ſanctimonia, & deuotione & pietate & religione mirabiliter loquitur, non ita facilè Procopio vel Agathio Gręcis & alienigenis credidiſſet. Similis eſt fatuitas, quum dicit pag. 59: Profer nobis regnum, ſiue antiquum, ſiue recens, ita conſtitutum, vt ſolo nutu populi, qui modo Rex erat, modo ſit aulœdus, modo citharœdus, modo ludimagiſter, vt tu. Capio te ad verbũ, Matharelle. Nã quidã ex aduerſarii tui diſcipulis, ſtatim quũ hæc legiſſet, dixit: Profero Ptolemæum, qui Auletes appellatus eſt, qui ab Aegyptiis ſubiectis ſuis quia nimium aulœdos & tripudiatores amabat, eiectus eſt, & cognominatus Auletes, vt ex tuis Epiſtolis familiaribus

cognoſcere potuiſti. Profero etiã (dixit ille) Dionyſium ex Syracuſis eiectum & Corinthi profugum, vbi, vt Cicero ait, ludum aperuit: vnde factum prouerbium, Dionyſius Corinthi: quod in tuis Chiliadibus poteris videre. Iſte ergo fuit ludimagiſter, ſed non vt Hotomanus: qui iuris ſtudioſos annos iam amplius quàm xx docet: qua dignitate nullam fuiſſe Romæ maiorem, Cicero & in Officiis, & in lib. de Oratore teſtatur. vnde illud eiuſdem in lib. 1, de ſenectute: Quid iucundius ſenectute, ſtipata ſtudiis iuuentutis? Sed ſubſequitur alia fatuitas pag. 72, ex qua fortaſſe crimen Læſæ maieſtatis obiici Matharello poſſet, quum ita loquitur: Nullus Rex ex tanto Capeuingiorum (id eſt Hugonis Capetti poſterorũ) numero nominari poteſt, qui proprio mandatu (proprio motu, noſter Archifatuus dicere voluit) aliquem occidi mandauerit. Nam iſta verba quaſi quodammodo videntur velle memoriã ſancti Bartholomæi refricare: in cuius feſto & circum circa clamãt omnes amplius quàm xxx millia hominum ab Italogallis trucidata fuiſſe. Quod verò pag. 75, ſcriptum eſt: vidi Latiniſtas qui valde irridebant.. Plura (inquit) de Senatus Pariſienſis autoritate dicenda eſſent: ſed non ex mendicatis & ignorantibus Iuris noſtri autoribus, ſed grauiſsimis ſcriptoribus. Et quis ſuaderet præceptori noſtro (dicunt quidam iuuenes glorioſi) tantopere in rebus melioribus occupato ſuam operam in lauando iſtius aſini capite conſumere: quum dicatur communiter, quòd ad lauandum caput aſini non perdatur

niſi lexiuium. Ergo relinquatur ipſius liber ignorantibus. At ipſe Gallicolatinè loquitur. Neque diſsimilis illa eſt elegãtia pag. 77. A Deo ſalus & intentio rerum omnium pendet: quod verbum omnes Sorboniſtę ſimul congregati interpretari non poſſent. Item illa pag. 66: Voluit oculis noſtris puluerẽ iniicere: Gallicè, *Ietter de la poul-dre aux yeux*. & retrorſum, ſed eodẽ capite pag. 61: Liber Frãcogalliæ ſapit ſeditionem. vbi Gingolfus quidam dicebat nuper ponderando iſtud verbum SAPIT, quod correſpondet OLFACIT. Tu ſcis quid velim dicere, tangendo gloſ. in l. agaſo, in verbo olfecit, ff. ſi quadrup. Et bardocucullus iſte pag. 141, exclamat, quòd maledicta eſt mater aduerſarii ſui, quæ genuit Maſtigem ſexus fœminei. Certè ego credo quòd millies maledices horam in qua fuiſti natus, vt reciperes tantum dedecus quod pro editione iſtius libri recepturus es. O pauper Gynæcocratumene, annon legiſti in Speculo preſbyterorum iſtos notabiles verſus: Vis liber fieri? non te ſubdas mulieri. Vîſque miſer fieri? mox te ſubdas mulieri. Sequitur cap. XI, in cuius initio Matharellus fatetur ſe dubitare de Purgatorio & Inferis: & per conſequens hæreticum ſe oſtendit. Nam pag. 77, dicit veteres Francogallos grauiter ferre ſuam progeniem degenerantem: ſi tamen (inquit) aliquis inferis eſt ſenſus. De quo dicto illum ad Sorbonam & Inquiſitores remitto: quia iſta propoſitio licet ſit conditionalis, tamen eſt ſuſpecta & piarum aurium offenſiua. In quãtum autem ſubdit quod vnicum exemplũ profertur

regis à Francogallis depoſiti:labilem ſuam memoriam Matharellus oſtendit,quum ſup.cap.61, Regũ octo exempla producta ſint: ſed & paulo poſt calumniatorem ſe oſtendit, quum ſubdit, Bellè dicit Hotomanus, ſed nihil probat: quaſi verò verbulum vnum in toto ſuo libro de ſuo capite poſuerit,ac non ad ſingula verba ſtatim teſtimonium & autoritatem ſubiunxerit. Sed pag. ſeq. hoc eſt,80,duo ſunt Matharellicæ fatuitatis documenta,vel maxima: primùm quòd principẽ Palatinum (quem ſuperius illuſtrem appellarat) Germanóſq; ſcilicet ipſius Conſiliarios) appellat ignorantes,Gallicè,*ignorants*: Gallus (inquit) Germano principi, & Germanis de Gallia diſſerens,ignorantibus impoſuit.O Matharelle(dicẽt iſti Germani) tu verificaſti dictum Thucydidis, vt quiſque eſt maximè audax, ita maximè eſt ignorax. Verùm illa ſubſequens incongruitas multo magis iſtis Humaniſtis & Latinizantibus ad ridẽdum apparauit,quum illum eiuſdem paginæ locum legerunt: Gallus, quo nomine de patriis legibus dicentem par eſſe videtur, cui credi debeat. Nam verum eſt,quod Epiſcopus vel Preſbyter ſi errat in Grãmatica,non eſt à ſapientibus irridendus,vt dicitur 38,diſt.quanuis, §.ſed licet,&c. ſedulo. & quòd ſancti loquentes per barbariſmos, non ſunt irridendi. d.c. ſedulo, &c.de conſecr. diſt.4,c.retulerunt:ſed Matharellus neque eſt epiſcopus, neque prſbyter, neque ſanctus.Ergo,&c.Neque verò minor illa impudentia eſt,quum ad teſtamentum Caroli Magni reſpondet nihil opus fuiſſe autoritate & cõſenſu

ſtatuum regni. Nam eius teſtamenti verba, in terminis hæc ſunt: Quod ſi filius cuilibet horum trium filiorum meorum natus fuerit, quem populus eligere velit, vt patri ſuo in hæreditate ſuccedat, volumus vt conſentiant patrui ipſius, &c. Quinimo Regino lib. Chron. 2, ſub anno 906 dicit, quòd Carolus ille Magnus non fecit ſuum teſtamentum de diuidendo ſuo regno inter ſuos filios, niſi in Parlamento trium Statuum: quod PLACITVM dicebatur. Cum primoribus, inquit, & optimatibus Francorũ de partitione ſui regni inter filios ſuos placitum habuit: & teſtamentum de illa fecit, quod à Francis confirmatum eſt. Similis etiam illa ſtultitia eſt, Aimoinũ lib. 5, c. 17, nõ loqui de Carolo Caluo, qui in populi Comitiis Rex inauguratus eſt, ſed de ipſius patre Ludouico, qui eum inaugurauit: quaſi verò de vno ſine altero loqui poſsit. Item, Non eſſe bonam conſequẽtiam, Regem illũ in conuentu creatũ: ergo in cõuẽtu Statuũ regni. Nã c. 10, ſub finẽ probatũ fuerat, ſolẽnẽ ſtatuũ cõgregatio nẽ, modo Placitũ, modo Conuẽtũ appellari. Quod verò ſubiungit anno 1560. Statuũ conuentũ Aureliæ habitum fuiſſe, vbi leges de ſummis quibúſque Regni negotiis cõſtitutæ ſunt: in quo aduerſarij ſui diſputationem cõfirmat: in eo ſe manifeſtum prẹuaricatorem oſtendit: ſicuti peſsimum Grammaticum, quando pag. 83. ita loquitur: Gallias & Germaniam totúmque Occidentis imperium vexatas & euerſas: quem barbariſmum iſti Humaniſtæ dicebant dignum eſſe propter quod Matharellus in Collegio Montiſ-acuti flagris cæ

deretur:vbi quidā dicebant(neſcio an ſit verum) Matharellum Capettum fuiſſe. Inquantum verò reprehendit eum qui dixerat Abbannagiū, non autem Appēnagium:obſecro, quid ridiculoſius? cùm etiam hodie Gallicè vetus Frācicum,id eſt, Germanicum verbum retineamus, Bannir. Satis autem conſtat, Appennagiū eſſe partē excluſoriā:quaſi dicas Legitimā liberorū. Sed illud multo criminalius,quod pag.85.dicit,Romanum Pontificem,ſui ordinis hominibus plus æquo fauentem,iniquæ incarcerationi Ludouici Pij conſenſiſſe:cùm tamen ſacri Canones dicant,quod Papę iudicio adeo eſt ſtandum, ac ſi de ore Dei aut Beati Petri eſſet prolatum.19.diſtin.c.ſic omnes. & quod nemini mortali licet de eius iudiciis,ſtatutis & ſententiis diſputare.17.q.4.ca.ſi quis ſuadente,in fin:ſcilicet quia ſolus eſt vicarius Chriſti in terris.c.licet.Extr.de elect.&c.quanto,Ext. de tranſlat. Quod ſi Papa ſæcularem Principem deponere poteſt, multo magis illius Ludouici depoſitioni conſentire potuit. c. ad abolendum, Ext.de hæret.Quid verò dicemus de pag.86.vbi Matharellus ex Authenticis latinis, vbi Iuſtinianus ſæpè dicit ſibi placuiſſe ius illo vel illo modo reddi: probare nititur vulgarem Edictorum regiorum clauſulam,ad vnius Regis arbitrium referendam:*Car tel eſt noſtre plaiſir.* Mulus Aluernogenus non erat meminens(ſic loquitur Dominus Cuiacius Recatholicatus in ſua Præſcriptione contra Hugnottos:quā tamē bene vellet attribui Domino Mallocio Ciceroniano: ſed omnes ſuū ſtylum cognoſcūt) quodcap.2.pag.18.ſcripſerat,

morem Galliæ fuiſſe, leges Regni ſẽper latino ſer mone ſcribi, donec Franciſcus Rex eius nominis primus id vetuit anno 1539. Sed debuerat Matharellus cauſam addere: quoniam videlicet Præſes Curiæ Parlamẽti in arreſto pronuntiando dixerat, Debotamus & debotauimus: quod Gallicè iam pronuntiatur, *Auons debouté & deboutons*. de quo Rex Franciſcus (vt quidam dicũt) multum riſerat: at alij, multum iratus fuerat. Sed nihil refert. Probatum eſt in Francogallia PLACITVM eſſe verbum, quo conſuetudinariè Conuẽtus ſtatuum appellabatur. Matharellus (vt modo dictum eſt) fatetur leges Regni in ſolenni Statuum conuentu ferri ſolitas. Quid igitur ad Galliæ conſuetudines Iuſtiniani authenticæ? vt illud omittam, quòd Græcè, non Latinè ſcriptæ ſunt. quaſi vero ſimile Iuſtiniani & Regum quondam noſtrorum imperium, aut eadem Regni adminiſtrandi ratio fuerit. Certe nunquam reperietur in Authẽticis, quòd Iuſtinianus tenuerit tres Status. Iſta cõſuetudo venit à Germanis, & per conſequens à Francis. Orientales adorabant Laurata: quaſi dicas Veronicam, vel imaginem ſui Imperatoris per vicos portatam: adorabant etiam ſacram Imperatoris purpuram. Sed Franci & Germani nunquam hoc fecerũt. Quę verò de Maioribus domus ſiue Palatij ſubſequũtur, quia & fatuitatis plena ſunt, & nullius momenti ſunt, hoc vno verbo dignabimur: patere cuiuis poſſe ex lib. Aim. 4. cap. 6. & cap. 14. & cap. 19. eundem fuiſſe Maiorem domus & Comitem Palatij: vnde Hunibaldus: Theodoricus ocio & inertiæ deditus, omnia negotia Re-

gni

gni per Comitem Palatij, quē Maiorem domus nuncupabant, diſponere cœpit. Is autē, quantùm à Comite ſtabuli diſcreparet, ſatis in Francogallia demonſtratum eſt: quo loco non ſcutica, ſed flagris digna eſt Matharelli veſania, qui Cedreni loco in Regum noſtrorum veterum contumeliam ſcripto ita delectatus eſt, vt eum totum ad verbum deſcriberet: quem tamen ex Eguinartho & aliis conuerſum ab illo Græco & non antiquo ſcriptore ſatis conſtat: cùm Hotomanus Regum veterum honori ſeruiens docuiſſet (quod eſt veriſsimum) iſta cōficta eſſe ab hominibus ingenioſis, Caroli Magni poſteris fauentibus: & ad tollendam inuidiam facti Pipini, qui Childerico ſucceſſori legitimo regnum, Papæ miniſterio interueniente, ademerat. Certè ſi quis eſt paſſus in toto Matharelli libro, ex quo cognoſcatur eius inſufficientia, & defectuoſitas ceruelli, ille eſt: vbi quæ ad dedecus maiorum noſtrorum dicta ſunt ab inimicis & alienigenis, tam indiſcretè & inconſideratè protulit: quæ de induſtria & conſultò ſcriptor Francogalliæ texerat: iuxta illud, Non deteges pudenda parentum tuorum. Quod ſi gloſſæ & doctores communiter definiunt Fatuum, qui proiicit lapides: vt not. in l. ſi cum dotem. §. ſi maritus. ff. ſol. matrim. certè Matharellus qui temerè tā ſtultū libellum proiecit, non ſine cauſa Fatuus reputabitur. Sequūtur cap. xij. & xiij. quæ Maquerellus permiſcens, quærit, quid opus fuerit, aut quid expedierit diſputare, vtrum Pipinus à populo electus, an à Papa Rex factus ſit. Et reſpondetur ab Hugnottis,

quia Papa qui in ſuis decretis iſtud gloriatus erat, apertiſsimi mendacij conuincitur. c. alius, 15. q. 6. vbi gloſ. not. (quod certè Germani accipiunt valde nimis in malam partem) quòd Papa deponit Imperatorem quando vult. 96. diſt. duo. &c. Si Imperator. Nec mirũ: cùm prima Extrauagàs Papę Ioannis ſic incipiat: Super gentes & regna Romanus Pontifex conſtitutus eſt. quippe: dicebat Magiſter Paſſauantius: qui acceperat Diabolum ad verbum, quãdo illi dixit, Si procumbens me adoraris, dabo tibi omnia Regna mundi. Et hoc eodem loco Matharellus præuaricator Papam Bonif. viij. nimis audacter onerauit, cùm dixit eum regna dare & auferre pro arbitrio conatum. quaſi vero Papa errare poſsit: qui ſi totus mundus ſentiret in aliquo contra eum, tamen ſolus in ſua ſententia pręualeret. 24. q. j.. c. hæc eſt fides. iudicat enim de omnibus, & à nemine iudicatur. 9. q. 3. c. nemo. Quod vero ſubdit, Hugnottis nimis ridiculoſum videri Epiſtolium Stephani Papæ, quod refertur Frãcogal. cap. 13. ſub finem: quis hoc miretur? Papa dicit ſe die quodam ægrotum ſomniaſſe ſe fuiſſe ſubtus campanas S. Dionyſij propè Pariſius: ibi agnouiſſe Petrum & Paulum ex ſuis ſurcariis. Petrum dixiſſe Paulo: Hic frater petit ſanitatem: & ſe ſtatim factum fuiſſe ſanum. Et cùm quidam illi dixiſſent, quòd dementabat: ſe viſionem illam Pipino narraſſe: quam ſtatim Pipinus credidit. ſtatímque prædictũ Papam in Miſſa intèr celebrationẽ Conſecrationis vnxiſſe Pipinum in Regem: obligans & obteſtans (hæc ſunt verba formalia Papæ, quæ Matharellum læ-

ſæ ma

ſæ Maieſtatis euidenter conuincunt) vt nũ quam de altera ſtirpe (Nota,nota Matharelle) Rex,niſi de Caroli Magni progenie, conſtitueretur. Vter, obſecro læſæ maieſtatis reus eſt: is qui ſtultam iſtam Papę obteſtationem irridet,an Matharellus præſentis Reginæ matris procurator:qui eam approbat,& defendit? Mox autem cõcludit hoc caput ſubdendo & recitando pulchrum locum Vopiſci in vita Imp. Aureliani: quo loco paginã 95. repleuit:cùm tamen illum locum Hotomanus in ſuo libro totũ ad longum propter ſingularitatem poſuiſſet, cap.10.pag.82. Deſcendo iam ad cap.xiiij.vbi Matharellus de Conneſtabulo loquitur:ſed ita vt ne ipſe quidem ſciat quid dicat, & videatur potius aſinus de Aluernia rudere,quàm homo loqui.nam neque vllam nominis Etymologiam affert,neq; ſcit vtrũ Conneſtabulus an Comeſtabulus ſit vocandus.cùm tamen aduerſarius eius tam apertè demonſtrarit eum Comeſtabulum ab antiquis dictum eſſe, quia origo eius fluxerat à Comite ſtabuli:de quo eſt apud Aimoin. lib.3.c.43.in fin.vnde alibi Comes ſuper cuſtodes equorum regiorum appellatur,in eo.c.& cap.57. & ab eodem Comeſtabilis lib,3.cap.70. Et idem dicimus de Paribus Franciæ, quos ille dicit deſignari ab Aimoino lib. 4. cap. 20. in loco, quem Hotomanus (vt ipſe ſcribit)non animaduertit.Et quid dicit iſte locus?quòd ad terminandam quandam controuerſiam inter Regem Clotarium & Dagobertum ſuum filium,x I I ex Regni proceribus electi fuerunt.Matharellus autem putat x I I. Pares Franciæ ab x I I illis commiſſariis originem

habuiſſe. Primùm, non eſt mirum ſi Hotomanus iſtud non vidit cap. 20. quia imò eſt in cap. 12. ſed hoc non eſt peius. nam qualis eſt iſta conſequentia: Rex pater & eius filius delegerunt XII proceres, in quibus plerique fuerunt Epiſcopi ad pacificandam ſuam diſcordiam. Ergo illi XII fuerunt illi, qui iam dicuntur Pares Franciæ. Atqui ex pantarchis & antiquis inſtrumeutis à Chopino productis cognoſcere potueras, incertum, & varium & ad libitum Regum antiquorũ modò maiorem, modò minorem eorum numerum fuiſſe. quod tamen ne ipſe quidem Choppinus percepit. Deinde Maquerellus, qui aliis exprobrat quòd non animaduerterint loca omnia Aimoini, capiat ſe per naſum: qui à tam multis Maquarellunculis adiutus, ipſemet non vidit eandem hiſtoriam plenius explicatam in appendice Gregorij lib. xj pag. 38. vbi oſtenditur, iſtos xij pro magna parte fuiſſe Epiſcopos: & tantùm commiſſarios ad tempus pro illo negotio incidenti. præterea nõ vidit Reginonem lib. 2. pag. 34. 6. ſub anno. 811. vbi morem hunc xij arbitros pacis conciliatores conſtituendi notauit. XV cap. fatetur verum eſſe, quod Francogallicus dixerat, ſub Carlouingiis conuocationẽ trium Statuum conſuetudinariè celebratam fuiſſe, Regnúmque Galliæ Pipino delatum magis auctoritate illius Conuẽtus, quàm Papæ Zachariæ iudicio: in quo cùm tam benè inter ſe conſentiant, mirum eſt, quod Matharellus ſcribit librum Francogallicum ad ſeditiones excitandas compoſitum fuiſſe. Nam ſi Statuũ & Comitiorum auctoritas ſemper etiam hoc tẽpore ſeruatur (vt dicit Matharellus) quod-

nam

nam illius Francogalliæ crimen eſt, vbi ſimpliciter Regni Gallici conſuetudines & mores exponuntur? Et idem dici poteſt, de eo quod Matharellus pag.106. concedit aduerſario ſuo, magnam eſſe differentiam inter Regem & Regnum. Sed in quantum ſubdit, Hotomanum vt Regnum Galliæ ignorantibus odioſum reddat, (ita loquitur in terminis) politiam accuſare, impudentiſsimum mendacium eſt: cùm Matharellus vnicam literulam in toto Frãcogalliæ libro oſtendere non poſſit, qua præſens Regni politia vel ſummo digitulo attingatur. Simile quoque mendacium eſt pag. ſeq.109: Innumeras eſſe in Germania religiones. nam duæ tantum tolerantur, eædem quæ ſuperioribus annis quandiu pax in Gallia viguit, toleratæ ſunt: quarum vna dicitur Catholica, altera Euangelica: optandúmque eſſet, vt tanta inter Gallos diſsimilis religionis eſſet cõcordia, quanta inter Germanos eſſe conſueuit. Sequitur cap.xvj. vbi Maqueréllus meretricia impudentia dicere auſus eſt, aduerſarium ſuum, nouam & quartam in Galliæ Regibus ſtirpem moliri & optare. primùm Aſinus iſte contrarietatem euidentiſsimam implicat. nam antea multis locis dixerat, aduerſarium ſuum conari ex Monarchia facere Democratiam. Nũc verò dicit illum quartam Regum familiam optare. Et quem ad finem, Scarabee? Nam ſi religionis cauſam affers, facilè tibi reſpondebitur, ſatis multos in hac illuſtriſſima Capeuingiorum familia Principes eſſe, qui eam & colant & ament. Quod verò ſic ſubiungit: Profer aliquem qui turbato ordine ſucceſsionis Regnũ ſit adeptus, excluſo propinquiore: capio

te ad verbum, libenter: & hæc Sigeberti chronographi verba profero, ſub anno 890: Franci verò neglecto Carolo Ludouici Balbi filio, Regem ſibi præficiunt Odonem filium Roberti Ducis. Profero & hunc ex Hunibaldo locum, apud Iohannem Tritenhemium ſub anno CCCIX: Rex Clogio, inquit, à Romanis interceptus & occiſus eſt: duos relinquens filios, quorum natu maior Helenus annum tunc agebat XX: minor verò natu Richimer XVIII. Lege autem Francorum erat interdictum, ne quis promoueretur in Regem niſi XXIIII ætatis annũ cõpleſſet. Hinc factum eſt, quòd neuter filiorum Clogionis ad Regnum potuit peruenire: ſed patruus eorum Clodomer electione principum fuit in Regem promotus. Protuli etiam tibi ſuperius exemplum de Ludouico Caroli ſimplicis filio, quem Franci neglexerunt, & alium extraneum Rudolphũ Ducis Burgundiæ filium in ſuum locum elegerunt: vt dicit in terminis Regino lib. 2. ſub anno 925. Sequitur in libro Matharelli longa narratio, quomodo Hugo Capetus ad regnum peruenerit: de quo facto nulla prorſus controuerſia eſt. In quantum verò ſubiicit, falſum eſſe, quod eſt in Francogallia de Hugone Capeto, qui ſummas Regni dignitates fecit hereditarias & perpetuas: primùm id nunquam Hotomanus dixit: ſed Franc. Connanum, quem tu clariſs. & ſummum Iuriſconſultum alio quodam loco appellas, auctorem profert. idémque audio in terminis ſcripſiſſe Arnoldum Ferronum in chronicis, quæ nunc non habeo. Quare ſiue hoc verum, ſiue falſum ſit, nihil ad tuum aduer-

ſarium

ſatium, qui vulgatum illud vſurpat: Penes auctorem fides eſto. Quid tu ad hæc Matharelle? Connanus (inquis) vir doctiſsimus falli & hallucinari potuit. At idem ſcripſerunt & Stephanus Paquerius aduocatus eloquens in tuo Parlamento, & Bernardus Gerardinus Regis ſecretarius, vterque (vt opinor) catholicus: quorum tamen vnum appellas ſuperciliōſum Gallicum ſcriptorem & recenter ortum, & qui maiore quam Hotomanus inſectatione Capetum proſcindit. pag. 119. Quare tuum erat cum illis litigare potius, qui tibi vicini ſunt, quàm trans Alpes aduerſarium quærere melioribus in rebus occupatum: qui tamen ad illud quod ſubdis de Illuſtriſsimo Principe Palatino Electore facilè tibi reſpondebit, Ius illud de quo blatteras & nugaris, ius (inquã) Imperij & Electorum Principum, & ciuitatum Germaniæ diligenter mandatum literis fuiſſe, in libro cui titulus eſt, Bulla aurea: quẽ tu nunquam, ne per ſomnium quidem vidiſti. Quoniam autẽ certum & definitum ius illud eſt, non eſt periculum ne cuiuſquã Principis aut Ciuitatis arbitrio mutetur. Intro iam in c. XVII. & XVIII. in quorum initio Matharellus dicit controuerſiam Philippi Valeſij & Eduardi Angli de iure fœminarũ in ſucceſsione Regni non fuiſſe agitatam apud Status Regni, ſed apud curiam Parlamenti. Quid igitur ſi nullum tibi proferam huius dicti auctorem antiquiorẽ, quàm magnũ illum Michaelem Hoſpitalium, nuper Frãciæ Cancellarium, qui in Oratione (quæ extat) quam Aureliæ in conuentu Statuũ in præſentia Regis & Principum habuit,

hoc ipſum in terminis dixit,& poſtea ſcripſit atque edidit:tractatam illam controuerſiam fuiſſe in conuentu Statuũ, neque vnquam illuſtriorem cauſſam ad eũ cõuetum delatam & introductam fuiſſe. Sed volo & tibi & aliis tuis poetaſtris, Aureliano, Bonefonio,& pręſertim Præuotio,qui ſe Regis ſenatúſq; Amanuenſem intitulauit,veſtram pluſquam aſininam ignorantiam demonſtrare. Nunquid vnquam vidiſtis ſtylum Curiæ Parlamenti? quod eſt ferc Aduocatorum Pariſiẽſium Breuiarium, ſiue Manuale. At in illo libro pag. 248.in expoſitione viceſimi priuilegij Regij hæc verba Stephani Auffrerij magni quondam practici & Præſidentis Tholoſani reperietis. Nam vbi de lege Salica loquitur (quam, communem errorem ſecutus, ad ius hereditatum Regiarum tranſfert) iſta verba ponit in terminis: Et vt facilior cognitio ſit illius antiquæ obſeruationis, & iudiciorum ſubſecutorũ, quæ ex regiſtris Curiæ Parlamenti trium Statuum regni ex Chronicis extraxi,declarare hoc deſtinaui. Philippus Diui Ludouici filius duos filios habuit, &c. Vidéſne Matharelle, quòd illa controuerſia non fuit agitata in curia Parlamenti Pariſienſis, ſed in curia Parlamenti trium Statuum: vt olim vocabatur Publicum gentis Gallicæ cõcilium:quod nomen ſibi poſtea Senatus Pariſienſis proprium fecit. Sed quia liber ille Stili Parlamẽti non eſt in omnium manibus, ideo puto melius fore, ſi totum locum hic deſcripſero:vt & hiſtoria illa pulchra, & Statuum regni auctoritas ex autore non ſuſpecto cognoſcatur. Philippus Diui Ludouici filius, duos

duos filios habuit, Philippum, qui cognominatus eſt Pulcher, & Carolum Comitem Valleſij, Bellimõtis. Carnoten. Alẽconij & Pertici: qui poſtea Andegauiæ & Cenomaniæ Comes & factus & dictus eſt. Philippus Pulcher Francorum & Nauarrę Rex, tres filios & tres filias genuit, Ludouicum dictum Hutin primogenitum, qui vno anno: Philippum dictum Longum, qui per luſtrum, et Carolum Pulcrum, qui per ſeptennium regnauere: Margaretam, quam matrimonio copulauit cum Ferrando primogenito Regis Caſtellæ: Iſabellam, maritatam Eduardo Anglorum Regi huius nominis ſecundo, cognominato de Kuernam, ex quo matrimonio natus eſt Eduardus v. dictus Vindeſoze, qui regnum querelauit. Tertiam filiam Katharinam habuit, quæ ante nuptias in virginitate moritur. Præfatus Ludouicus Hutin filium habuit Iohannem, qui antè coronationem mortuus eſt: & ideo non ponitur inter Reges. Similiter, vnam filiam habuit, quam matrimonio dedit Carolo Comiti Ebroicen. vnde ille Carolus peſsimus Rex Nauarræ dicto Ludouico Hutin ſucceſsit, & Francorum regnum adeptus eſt dictus Philippus Longus: non autem ille Carolus peſsimus Rex Nauarræ ex muliere deſcendens, licet in Regno Nauarræ ſucceſserit. itaque iudicatum extitit. Philippus Lõgus filiam vnicam habuit, in matrimonio datam comiti Attrebatenſi: cui Philippo dictus Carolus Pulcher ſucceſsit: non autem prædicta filia: etſi in proximiori gradu eſſet. Dictus Carolus Pulcher ſine liberis vxore prægnante deceſsit, vnde diſputatio

inſurrexerat, quis interim dum Reginæ partus expectaretur, pro regēte acciperetur. Duo erant, qui ſibi iure prætendebant, & ſibi deberi aſſerebant: Philippus Valeſius & dictus Edouardus tertius, ex Iſabella Philippi Pulchri filia natus. Philippo maximè ſuffragabatur, quòd ipſe maſculino gradu Carolo Pulchro proximus habebatur: Edouardo autem, quòd à fœmina eſſet proximior gradu. Et quia nullo tempore viſum eſt per fœminam Francorum imperium moderari: his rationibus Philippus Valeſius regno præficitur, & poſtea Rex coronatus eſt, ab Eccleſia tutatus, & ab illo Edouardo approbatus eſt: qui Edouardus fidelitatem cum conſenſu Anglorum pro Ducatu Guiēniæ in verba Regis iurauit, anno 1329. Hæc ſunt verba Practici Auffrerij. Sed vltra eum ego me iam ſubuenio de altero libro quem cùm in tam multis paſsibus tui libri tātum laudes & commēdes, certè ſi dilucidū tuæ ſtultitiæ interuallum habuiſſes, certiorari ab illo de hoc tuo dubio potuiſſes. Ille eſt liber Claudij Seyſſellij de lege Salica Galliæ ſcriptus, & cum Monarchia regni Galliæ ab eodem cōpoſita impreſſus: in quo c.j.fo.8.ſic ſcribit: poſtquam illam totam hiſtoriam Philippi Pulchri & Edouardi Angli recitauit: *Et furent mādez les trois Eſtatz generauls du Royaume, enſemble tous les notables clers, docteurs, & autres gens d'eſtat expres, cognoiſſans en telles matieres: & eſquels trois Eſtats ſe preſenta d'vn coſté Philippe de Valois &c. d'autrepart ſe comparut auſditz trois Eſtats Edouart le tiers. Roy d'Angleterre &c. Item pag. 89. Finalement parties ouyes d'vne*

part & d'autre, les Princes, Prelats, Nobles gens des bonnes villes, & autres notables clers faiſans & repreſentans les trois Eſtats generaux du Royaume aſſemblez pour ladite matiere, dirent & declarerent, que ſelon Dieu, Raiſon & Iuſtice, à leur aduis le droit dudit Philippe de Valois eſtoit le plus apparent pour paruenir à la Couronne. Or, Matharellus & omnes Italogalli aduertant ad hoc punctum. nam eſt magnum argumentum ſupremæ, imò ſupremiſſimæ auctoritatis & pręeminentiæ triũ Statuum: quòd Reges ipſi vel ius Regni & Coronæ prętendentes, ſtatuum iudicio ſe ſubiecerunt: & quòd adhuc illo tempore, hoc eſt anno 1328 Status Regni Galliæ habuerunt ſummam auctoritatem & ſupremam poteſtatem immediaté à Deo adiudicandi Coronam: & per conſequens à contrario ſenſu conſequentia eſt euidẽtiſsima: quòd cui eſt ius dandi, eidẽ eſt ius denegandi, vt ſupra dictum eſt ex l. qui vetant, ff. de reg. iur. & plenius in gl. l. iij. ff. de re iud. Et quoniam teneo nũc in manibus illum Claudij Seyſſellij librũ quem Matharellus valdè, & non ſine cauſa, laudat: nõ eſt omittẽdũm quod notabiter dicit in lib. de Monarch. c. 13. erroneam eſſe cõmunem opinionem, quòd quando loquimur in Gallia de tribus Statibus, ponitur in illo numero Ordo Eccleſiaſticus. nã in terminis ſic dicit: *Et en ces trois Eſtats ie ne compren point celuy de l'Egliſe: ains les pren ainſi que l'on fait és autres païs: aſçauoir la Nobleſſe, le Peuple moyen, (que l'on peut appeler le peuple gras) & le Peuple menu.* Et poſt cap. 25. ſecundum ordinem ſic declarat: *Ceux à qui appartient le maniement de la mar-*

chandiſe, qui eſt defendu à la Nobleſſe, les offices des Finances, les offices de Iuſtice, & de prattique. vbi eſt vnum notabile corollarium, his verbis: *Il y a par mon opinion plus d'officiers de Iuſtice & de Prattique en France, qu'au demourant de la Chreſtienté toute enſemble.* Cap. vero ſeq. hoc eſt cap. 16. ita ſcribit: *La vocation du peuple menu eſt principalement au labourage de la terre, aux ars mechaniques & autres meſtiers inferieurs.* Sed iam tempus eſt redeundi ad noſtrum Scarabeum: qui ſub eodem capite frendet dentibus cõtra quendã, quem dicit duobus ab hinc annis cum audacia & ſupercilio Gallicè de rebus Gallicis ſcripſiſſe. Oportet quòd ab aliquo ſit irriſus: & forte à Bernardo de Girardo, Regis ſecretario, cuius librũ nouiſsimè mihi quidam oſtendit, vbi non minus multa dicũtur & de Electione, & de Reginis matribus, & de Parlamento, & de Rabulariis, & aliis rebus quas Matharellus reprehendit, quàm in Francogallia dictum fuerat. Poſtea verò Matharellus tractans iterum de lege Salica, pag. 126. dicit, quòd credit Poſtello, qui aſſeruit quòd non eſt dicenda lex Salica, ſed lex Gallica. Ex quo iterum probari poteſt ad oculum, quòd nec Matharellus, nec Poſtellus, (vterque Archifatuitatis inueſtitura dignus) vnquam vidit legem Salicam: & quod loquuntur de noſtris Antiquitatibus ſicut cæci de coloribus. Et ex eadem fatuitatis cloaca fluxit illud quod ſequitur: Nihil eſſe ad naturam accommodatius, quàm hominẽ, qui caput fœminæ eſt, regnare. quo quid magis beſtialiter ac brutaliter Latinè pronuntiari poteſt? Hominem eſſe caput

fœmi-

fœminæ.& de quali homine Matharellus intelligit?Ex eodem fatuitatis genere illa ſunt, quibus indignatur Ludouicum XI.vocari in Aduerſarij libro callidiſsimũ & verſutiſsimum. O ſtultitiam Matharellicam! qui cùm toties Claudium Seyſſel lium Archiepiſcopum Taurinenſem laudet, tamen non vidit libellum eius iampridem Lutetiæ cum priuilegio Regis & Parlamenti impreſſum de vita Ludouici XII, vbi mille locis illum Ludouicum XI. tyrãnum,impiũ,ſceleratũ,& nefarium & Dei contemptorem appellat:& multis verbis eius impietatẽ inſectatur. Sequitur ca.XIX.cuius initio Maquerellus dicit Francogalliam data opera ſcriptam aduerſus Reginam matrem. Aliquoties iam dictum eſt calumniatores talionis pœna teneri.l. vlt. C. de calumniat. Quare aut impudẽs illud mendaciũ probet Matharellus neceſſe eſt, aut, ſi quid iuris eſt in Gallia, merito ſupplicio afficiatur:niſi fortè(vt Cicero dixit)excuſatione ſummæ ſtultitiæ, ſummi peccati veniam poſtulet.Simpliciter igitur reſpõdebit Hotomanus Matharellum mentiri : &, de conſilio Petri Iacobi,qui fuit bonus practicus, & melior quàm Iohannes Gallus aut Carolus Molinæus (qui aliter opinantur) adiungit eum Mentiri per gulam: & quòd ſuus liber de nullo principe vel principiſſa, qui vel quæ fuerit de poſt cẽtum annos non facit vllam mentionem:ſed ſimpliciter & narratiuè proceſsit in obſeruationibus Francogalliæ,referẽdo ſingularia quædam & notabilia,ſine vllius perſonæ quæ viuat læſione. Nihil igitur tam impudenti Scarabeo reſpondendum eſt. Sed nota-

bilis fatuitas Matharelli demonſtranda ſub pag. 136.vbi dicit non permitti Regibus gubernatio-nem Regni citius, quàm aliis priuatis adoleſcentibus rerũ ſuarum adminiſtrationẽ.quo nihil ſtultius dici potuit.nã Iure ciuili non ante 25.annum rerum ſuarum adminiſtratio conceditur.l.j.ff.de min.At nullus eſt practicus in Pariſienſi Palatio, qui non poſsit Matharellum docere,quod Regis Caroli v. inſtituto in Statuum conuentu approbato,& poſtea per Carolum v i. confirmato, lex fuit lata,vt Regesineunte anno x i i i i. pro maioribus & adminiſtrandi regni capacibus haberentur. Ex eadem ſtultitiæ cloaca illud eſt, quòd cum Matharellus pag.126.ſcripſerit,legem eſſe non Salicam, ſed Gallicam, imò naturalem, vt homo caput fœminæ regnum obtineat, neque quidquam melius aut naturæ accommodatius dici poſſe,tamen hoc eodem cap.multis verbis contendit,Regni adminiſtrationẽ fœminis eſſe committendam:contra Iohan.Pyrrhum in l.fœminas ff.de reg. Iur. vbi per viginti fundamenta tuetur legem Salicam. Quòd autem Matharellus dicit tragicos euentus qui olim ex eiuſmodi adminiſtrationibus acciderunt, ſilentio & taciturnitate ſempiterna eſſe opprimendos,contentus ſum pro amore Matharelli concedere, ne catum qui dormit, excitemus.Poſtquã verò multa Matharellus dixit in laudem fœminei ſexus, tandem pag.141. quaſi deflens amarè, & pectus compungens exclamat cõtra ſuum aduerſarium: O miſera mater quæ te genuit,maſtix fœminei ſexus!quaſi à contrario ſenſu dicere debeamus: O beata viſcera

quæ

ra quæ te portarunt Maquerelle, patrone, defenſor & aduocate fœminei ſexus! Oremus pro deuoto fœmineo ſexu. Quãtum gratiæ tibi pro iſto bono officio ſcire debent omnes domicellæ Curtis? quot bonas illarum gratias per iſtum tuum libellum acquiſiuiſti? & maximè cùm Reginam Blancam defendiſti: & Iohannem Ionuillæum vnicum Gallicæ hiſtoriæ ſcriptorem ſapientiſsimum, dixiſti tibi eſſe ſuſpectum & mendacem, quia tanta mala de Regina Blanca dixerat. Vnum eſt ſuſpectiſsimum, quòd in patrocinando generaliter illis bonis antiquis Reginabus, nullam feciſti mẽtionem eius horribilis ſupplicij, quo Brunechildis affecta eſt, cùm a b equo ferociſsimo diſtracta, & membratim diſcerpta eſt: vt omnes hiſtorici teſtãtur. Sed credo te hoc feciſſe ad cautelam: quia nunquam tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum: vt notat gloſ. magna in fi. l. actus legitimi, ff. de reg. iur. maximè quia (vt dicit Salomon) non eſt caput ſuper caput ſerpentis: neque ira ſuper iram mulieris: notat Bal. in l. ſi apud, C. de reuoc. donat. & quãdoque in mulieribus Igneus ille furor neſcit habere modum. gloſ. in. §. nouimus, in Authent. quib. mod. nat. effic. legit. Prçterea cùm tam bene ſcias & de Ionuillæo & de Connano detrahere, & illis aliiſque qui aliquid contra tuum deſiderium ſcripſerunt, fidem abrogare: mirantur omnes cur non etiam illi ſeuero & rigoroſo Catoni maledixeris, cuius dictum illud toties in Francogallia recantatum fuerat: Date frænos impotenti naturæ: indomitoque animali: & ſperate ipſas modum licentiæ facturas. Sed ei qui ſenten

tiam illam allegauit, dicis non frenum, ſed reſtim eſſe mittēdam. quod quidem ille tibi, Maquerelle, reddit tuum. Reſtis eſt propria latronum, & furum, & maquerellorum. Tu qui iuſtitiam vendis pauperibus, qui tuæ propriæ vxoris maquerellus es, qui dicis te nullis reſtibus & funibus furorem eius frenare poſſe, ſerua tibi quod tuum eſt: & vide, vide bene deciſiones Doctorū in l. mercalem te habere vxorem dicis, C. de condict. ob turp. cauſſ. & An quis ob lenociniū ſuæ vxoris ab accuſatione remoueri poſsit, vide Scribentes in l. ij, §. lenocinij, ff. ad leg. Iul. de adult. & diſce poſthac Regulā iuris cōmunis: Qui quę vult dicit, ea quæ non vult audit. Vnum tibi conſulo Matharelle, ad tollendam illam ſiniſtram opinionem de tuo dicto contra fœminas pag. 126. vt quia tu tam eleganter ſcribis in Latino, traducas in linguam Latinam librum Guillermi Coquillart, Intitulatum, *Le purgatoire des mauuais maris* : vbi latè exponit, quam pœnam ibi inter cæteros ſufferat Matheolus, propter opus quod compoſuit contra fœminas. item alterum eiuſdem Coquillarti librum, qui vocatur, *l'Aduocat des Dames de Paris allans aux Pardons*, vbi reſpondet cuidam prędicatori qui cōtra illas clamarat. Tu ſcis quid euenerit Magiſtro Ioanni de Meung, qui compoſuit ſuum Romanum *de la Roſa* contra fœminarum honorem: de quo Gerſon quondam Cancellarius Pariſienſis dixit in tractatu contra ipſum, quòd niſi egerit pœnitētiam, eſt damnatus in inferno. Sed eum pœnituit, vt patet ex eius teſtamento Gallicè conſcripto, intitulato Teſtamentum

tum Ioannis Magiſtri de Meung, vbi dolet quòd compoſuerit illud, excuſans quòd fecerit in iuuentute. Reſpondere etiam debebis ad dictum vulgare, de quo eſt in Syl.nupt. lib. j, num.162. quòd Demones neutrales neque in cælum aſcenderunt, neque in infernum deſcenderunt, ſed remanſerunt in corporib. mulierum. & vulgari dicto: quòd mulieres ſunt ſanctæ in eccleſia, angeli in acceſſu, dæmones in domo, bubones in feneſtra, picæ in porta, capræ in horto. Quòd ſi tuus aduerſarius iſti tuo libro reſpondeat, conſulo tibi vt audacter replices: & ſi triplicet, vt quadruplices: ſic, vt habeas ſemper vltimum: & ſis ſimilis mulieribus, que dicuntur non poſſe inſeruire Miſſæ: quia nunquam perficeretur Kyrieleyſon, quia ſemper volunt eſſe vltimæ ad loquendum. Sed eſt mirum, cur Matharellus tantum iraſcatur ei libro, qui tam procul & vltra Alpes impreſſus eſt: & tamen toleret eum, qui in ſua barba, in vrbe Pariſius, cum priuilegio Regis eſt impreſſus, quinimo ipſi Regi dedicatus, vbi tam multa de mulierum regimine dicuntur. Nam extat Dioniſij Lambini profeſſoris Regij commentarius in Ahemiliū Probum nuper impreſſus: cuius pag. 345, verba hæc ſunt formalia ex tranſlatione loci cuiuſdam apud Diodorum Siculum libro 19. Olympias Alexandri Magni mater, illo mortuo, nepotum ſuorum regiorum corporum poteſtatem nacta, & ſine periculo regnum adepta, ſecundam fortunam humanè non tulit. ſed Eurydicen & eius virum Philippū primùm in cuſtodiā cōiectos indignis modis tractare & vexare conata

eſt. Nanque iis in ædificio paruo vndique circunſæpto, nullúmque exitum habente, concluſis, per vnam anguſtã feneſtram res neceſſarias eis præbebat. Ad multos autem dies ſæuitia inhumana, atque ab inſtitutis & legibus aliena, exprompta, poſteaquam apud Macedones infamia flagrauit, propter illorum erga eos, in quos illa crudelitas vſurpabatur, miſericordiam, mandauit Thracibus quibuſdam, vt Philippum, qui annos ſex & menſes quatuor regnarat, ferro compungerent, & ſtimularent. Eurydicen verò, quòd liberius loquebatur, & quòd clamabat, ad ſe magis, quàm ad Olympiadem, regnum Macedoniæ pertinere, grauiore ſupplicio dignam eſſe iudicauit. Itaque miſit ad eam gladium, & laqueum, & cicutam: vnóque tempore conſtituit, vt quodcunque horũ vellet, ad mortem abuteretur: neque ſuperiorem eius, cui talis fiebat iniuria, dignitatem reuerita, neque cõmunis hominum conditionis, & fortunæ miſerta. Quocirca ſimilem rerum mutationem cõſecuta, atque experta, crudelitate ſua dignum vitæ exitũm habuit. Eurydice enim Olympiadi corã eo, qui illa attulerat, precata, vt ſimilia ei munera contingerent, virum quidem compoſuit, atque inuoluit, vulneribus lotis & curatis, prout tempus illud tulit: ipſa autem cùm ſe ſuſpendiſſet, zona gutturi innexa, vitam finiit: neque lacrymis fortunam ſuam proſecuta, neque magnitudine acerborum euentorum ſuorum fracta. Olympias autem horum cædem, Nicanoris Caſſandri fratris cæde cumulauit: Iollæ ſepulcrum euertit,

Alexan

Alexādri mortē,vt dicebat,vlciſcens.Elegit porrò & ex Caſſandri amicis viros clariſsimos Macedones centū, quos omnes iugulauit.Talibus autem & tā atrocibus,atq; iniuſtis facinoribus iram ſuam explēs,ac ſaturās,citò hoc efficit, vt Macedones eius crudelitatē abominarētur. Omnes enim Antipatri verba memoria repetebant, qui tanquam oracula fundens,& vaticinans, Macedones moriens hortatus eſt, VT NE VNQVAM MVLIEREM SINERENT REGNI CLAVVM TENERE.Hactenus Diodorus.Poſtea ſequūtur verba Dionyſij Lambini, impreſſa Pariſius anno 1569:notate Matharelle, & Maſſone,& Aurate Lambini collega & ſocie,& amice.Præclare verò Antipater. Nam ſi mulieres omnes iure ciuili propter infirmitatem conſilij in tutorum ſunt poteſtate, neque ſuarum rerum gerendarum ſunt dominæ aut arbitræ, & quòd mulier ſine tutore auctore promiſerit, id ratū nō eſt, neq; debetur: quanto minus debet mulieri reip. procuratio, & regni adminiſtrādi poteſtas permitti,aut committi?& ſi viri interdum, quorum maximè propria eſt fortitudo, quíque ſapientiores & cordátiores ſolent eſſe natura,imperium adepti,tamen licentia corrumpuntur, ac deprauantur: quid à mulieribus,quibus nihil natura finxit mollius, neque mobilius,neque infirmius,expectandum?

Talia ſunt verba Lambini,impreſſa Lutetiæ,impreſſa cum priuilegio Regis,de quibus tacent Matharellus,Preuotius,Piſceuinius, Aurelianus, & omnis illa poetaſtrarum confraternitas: qui ſe fatigant de iis que fiunt trans Alpes,& tacent ea

quæ fiant in ſua barba, & aſpectu. Supereſt cap. xx. & vltimum: in cuius initio ſcribis multum te dolere quòd egregius Iuriſconſultus vnico libello, nominis & famæ iacturam fecerit. At ille ex omnibus partib. mundi infinitas congratulatorias litteras accepit, laudantes ipſum, quòd patriæ afflictę tam bonum & fidele officium pręſtiterit. quinimo eſt quidam Poëta laureatus in Germania & magni nominis, qui dicitur Paulus Meliſſus, qui plus ſcit in arte verſificatoria, quàm omnes tui Poetaſtræ, qui neſciunt adhuc ſuas quantitates: vt ille Aurelianus, qui primã SOLATVS fecit breuem: qui quidem Meliſſus, in eius laudem hoc Epigramma ſcripſit, & inter alia ſua opera diuulgauit: Ad Hotomanum:

Qualis aut viridis nitet ſmaragdus,
Aut qualis rutilus micat pyropus
Gemmas inter & Indicos lapillos:
Talis iſte tuus recens libellus
Auro ſplendidus, enitet micátque
Inter hiſtoricos meos libellos.
Meis nec minus allubeſcit ille
Francis, quàm nequit haud placere Gallis,
Publicum patriæ ſtatum tueri
Feruidis, veterúmque iura legum.
Quas ex hiſtoriæ ſcatente fonte
Ad incendia Galliæ flagrantis
Reſtinguenda, refers aquæ ſitellas,
Libertatis amator & patrone,
Num ſunt de nihilo? pares & alter
Quiſpiam ſtudioſiore cura,
Item tertius vrnulas miniſtret,

Sedatum

Sedatum dabitis furoris ignem.
O ſi bella quieſcerent Enyus
Cruentiſſima bella turbulentæ
Enyus, Hotomane, denuóque
Pax inuiſeret arua Gallicana:
Flos priſcæ reuireſceret iuuentæ,
Flos nouæ reuireſceret ſenectæ.

Certè ego vidi multos, qui dicebant quòd illa carmina melius valebant aureum, quàm omnia poetaſtrarũ epigrammata in fine tui libri poſita, duos denarios. etiã ſine excipiendo tuum vicinũ Lemouicem raphanophagũ Ioh. Auratum: de quo ante duos annos vidi diſtichon ab Hotomano contra illum ita ſcriptum:

Ex ſolido eſſe prius vulgus quem credidit auro,
Extrorſum auratus, plumbeus intus erat.

Sed his omiſsis deſcendamus ad veſtram diſputationem. Vos obiicitis Hotomano, quòd damnet artem Iuriſprudẽtiæ, quam profitetur. At omnes eius diſcipuli reſpondent, quòd aliud eſt Iuriſprudentia, quam ille profitetur, aliud Ars rabularia quam exercetis: & quòd inter illas tantum intereſt, quãtum inter veram & non fucatam Philoſophiam ab vna, & Sophiſticam ab altera partibus. Deinde quòd ferè nihil dixit de per ſe, ſed tantùm laudando magnum illum Budæum, qui multis locis terribiliter inſurgit in ſuis libris contra Palatinos rabularios, contra cuius dictum fatuiſſima illa tua reſponſio eſt pagina 150, quòd Francogalli auidè amant lites. Item pagina 159, quòd Gallia ſcatet ſycophantis. O Matharelle præuaricator perditiſsime. An tu iſto modo Gallicam nationem tractas: cuius te patrocinium ſuſcepiſ-

ſe gloriabaris. An neſcis quòd qui lites amant, reputantur calumnioſi, & ſunt exoſi legibus, vt dicit Barbatias in Clem. vt calumniis, De re iudic.& lib. conſil.2.conſil.7.ſapienter colum.11.& conſ.31,omnia quæcunque.adeo vt in d. clementin.dictum ſuum ampliãs, adiungat,quòd qui de leui litigat,non ſit admittendus in teſtem,nec in accuſatorem.Et idem repetit lib.conſ.4,conſ.32. omnia col.11, vnde boni viri lites execrantur, vt notabiliter dixit Iaſon in l.filio pater,1. not. ff.de legat.1.Idem Felin.in c.illud, coll.5, de præſcript. Et latè hoc tractatur in Naui ſtultifera (cuius tibi gubernatio debetur) chart.81, de litigant. in iud. Quocirca laudatur à multis illud Catonis dictũ, qui optabat forum iudiciale ſterni muricibus, Gallicè, *de chauſſetrappes*:quod idẽ Budæus optabat de Baſilica Pariſienſi, loco illorum lapidum nigrorum & alborum, quibus alternatim pauimentata eſt. Et quoniam pag.ſequenti tantopere iraſceris, quod aliquid dictum ſit aduerſus malos cauſidicos & quoſdam iudices mercenarios: qua excuſatione illud teges, quòd de decem millibus hominum qui in Gallia officia iudicaturæ adminiſtrant, vix reperiri poſſent quatuor, qui non præſenti pecunia ſuum officium emerint? Quid dices ſuper hoc Matharelle? An nunquam legiſti quod Iuſtinianus ſcripſit in Nouella 8, Nundinationem magiſtratuum eſſe omnis improbitatis principium & finem? Et illud Alexandri Cæſaris: Neceſſe eſt, vt qui magiſtratum emat, vendat. nec ſine rubore puniri poteſt, qui quod emit, vendit. vnde eſt præceptum aureum l.vlt.C.de repetund. vt qui magiſtratum ineunt,

iurent ſe nihil eo nomine neque per ſe, neque per alium dediſſe, aut promiſiſſe. Quod iuramentum vtrum in Gallia verſum ſit in periurium vſitatiſsimum, & Iuſtiniani dictum verificarit, tu ipſe iudex eſto. Certè vos habetis ſemper in manibus librum intitulatum Stylus curiæ Parlamēti, in cuius margine pag. 131, reperio quòd multò magis vos ſcandaliſat per totum mundum, quàm vnquam fecerit Francogallia. Nam ita ſcriptum eſt: Anno 1522, Rex Franciſcus vt corraderet LX millia aureorum addidit Parlamento quartam camerā è XX nouis conſiliariis, à ſingulis capiens ter mille aureos: vnde curia valde deturpata fuit. Primus enim dictorum emptorū Petrus Ledet multis corruptionibus damnatus, regradatus & eiectus eſt. Poſtea Præſidentium quoque numerus pretio auctus eſt. Rurſus idem Rex 1543 alios XX quæſtus cauſa creauit. Et ex eo tempore nunquā Henricus Rex & alii ſucceſſores neque melius neq; promptius habuerūt remedium inueniendæ pecuniæ quàm ex creatione nouorum officiorum iudicialium. Sed iſta commemoratio tædioſa eſt, nec facit multum ad propoſitum. Dictum erat autem ad propoſitum hiſtoriæ, quòd quondam ſingulis annis tenebantur Status regni ſiue Comitia trium Statuum: & quòd ille Conuentus dicebatur antiquā linguā Curia Parlamenti trium Statuum, vel ſimpliciter Parlamentum, ſicut adhuc in Anglia nominatur: ſed quòd poſtea quidam Reges commutarunt iſtud Parlamentum in perpetuum & ſedentarium conuentum iudicum, apud quos ferè nihil ageretur

niſi de litibus. In hoc eſt prima querimonia, quòd mos maiorum ſacroſanctus eſt neglectus: & quòd ferè per centum annos intermitti ſolent Comitia Regni, quæ debebant annuatim teneri. Secundò, quòd ille conuentus hominum qui emerunt officia & dignitates, eſt tanquam ſeminarium litium & proceſſuum: taliter, vt quum olim perpaucæ eſſent lites, nunc poſt illam cõmutationem tertia pars Gallorũ occupata ſit in litibus & arte rabularia, Gallicè, *Chicquanerie*. Et quòd iſta non ſint noua, produco tibi duos teſtes irrefragabiles. Fratrem Michaelem Menot, & Fratrem Oliuerium Maillard, Sorbonæ Theologos. Quantum ad primum, profero tibi hæc illius verba formalia ex Sermõne quadrageſimali, feria ſexta, poſt cineres. fol. 7, Rex poſuerat in ciuitatibus metropolitanis ſedem iuſtitiæ, & dominos Parlamenti conſtituit, qui vnicuique ſuum ius redderẽt: & per eos populus regeretur & cuſtodiretur in pace. Sed nunc domini iuſtitiarii ſunt ſicut catus, qui ponitur ad cuſtodiendum caſeum ne mures illum rodant. Sed ſi catus ſemel apponat dentes, plus nocebit vno morſu, quàm mures in viginti. Sic domini officiarii Regis poſiti ſunt ad tuendum populum communem pauperem: & tamen hi plus nocent vni pauperi, ſuper conductione vnius proceſſus ſex alborum, quàm omnes talliæ, omnes impoſitiones & gabellæ, & armigeri qui poſſunt eis venire in vno anno. Item Feria 4, poſt primam dominicam quadrageſ pag. 17, Non eſt nunc princeps, abbas, epiſcopus aut mercator, qui non deſtrua-

tur per proceſſus. Animalia fecerunt aliquando multa mala, comedendo botros vinearum, & cæteros fructus terræ: ſed adhuc non fecerunt tot mala ſicut vnus malus aduocatus, vel cautus procurator. Item Feria 4, poſt primam dominicam, pag. 95: Nónne eſtis in ciuitate principali totius regni Franciæ Pariſius? vbi deberent eſſe iuſti Iudices, boni, & quærentes bonum & vtilitatem populi: reddentes iuſtitiam cuilibet, ſecundùm quod ſuum eſt. Et paulo poſt: Si hodie reſpicimus ſedes Iudicum, videmus eas rubras & rigatas ſanguine pauperum, qui per eos excoriantur. O bone Ieſu, dormis? O quot pauperes tui mortui ſunt, qui à quatuor vel quinque annis non potuerunt habere audientiam ad perſequendas cauſas ſuas. Et mox: Quid hodie eſt iudicium? Siquis dominus diues ducat proceſſum contra pauperem: poſtquam durauerit per quatuor vel quinque annos: & inuentum ſit quòd pauper ius habet, venitur ad dominum: Domine, oportet vos ſatiſfacere parti veſtræ, & quòd accordetis cum eo, quia non habetis ius: quia ſi ſententiam expectetis, dabitur contra vos. quid poſtea facietis? facietis venire pauperem, & aduocatus dicet: Amice, deſtruitis vos: non eſt caſus veſter ducere proceſſum contra talem dominum: ideo oportet vos concordare cum eo. dabit vobis centum ſcuta: dimittatis ei hæreditatem. aliter ſi non feceritis, decreuit vos depauperare. Item dominica 2, quadrag. fol. 104: Dico quòd pulchrior roſa quæ ſit in Francia, eſt parlamentum: & quòd habet videre & ſuper eccleſiam &

ſuper brachium ſeculare. Sed iſta roſa verſa eſt in ſanguinem: ſic quòd eſt omnino tincta ſanguine pauperum, clamantium & plorantium hodie poſt eos. non mentior. Eſt hodie deductio cauſæ pauperum? ad oculum videtur, quòd non. ſi quis quærat à paupere, qui iam per decem annos ſtetit Pariſius in proſecutione ſui proceſſus, O amice, quomodo ſtatis tot? quare non facitis expedire caſum veſtrum? eſt tam magnum Parlamentum: & à decem annis non potuit expedire? Reſpondebit, flendo: Heu domine, ſi vellent, me in octo diebus expedirēt, ſed hodie hominem non habeo, qui me defendat, & loquatur pro me, &c. Et paulò pòſt: In hac ciuitate videre vnum conſiliarium Curiæ prædari per ribaldos, capere vnam honeſtam & pulchram filiam per crines & angariare eam ad proſtibulum: hodie non fit æſtimatio. Relinquamus Menotum, & veniamus ad prædictum fratrem Oliuerium Maillardum qui Sermone XXI, fer. 2, dom. aduent. ita dicit: Et domini aduocati: nunquid plumatis aliquando anſeres pingues ſiue pipiones? Tempore Regis Ludouici in vna ciuitate huius regni erant duo aduocati, qui erant compatres: vnus bonus vir venit ad vnum illorum, & dixit ſibi, Domine, ego habeo vnam cauſam in Curia: vos eritis aduocatus meus, ſi placet. Reſpondit, libenter. Poſt duas horas venit aduerſarius ſuus, qui erat multū pinguis, & dixit ei: Domine, habeo vnam cauſam contra vnum ruſticum: rogo ſitis aduocatus meus. Reſpōdit, libenter. Quādo verò venit dicta: primus qui non erat tam diues ſicut alius, ve-

nit ad aduocatum,& dixit ei:Domine,hodie debet teneri dieta,ſi placet, reſpondebitis pro me. Tunc dixit ipſe:Amice mi,alia vice quãdo fuiſti, nihil loquutus ſum propter occupationes diuerſas,ego tamen auiſabo de facto tuo: ſed ego non poſſum eſſe aduocatus tuus,quia ſum aduocatus partis aduerſæ:tamen dabo tibi virum probum qui erit aduocatus tuus,& ſcribam ad eum literas.Bene,dixit iſte: habeo vobis gratias, domine. Tunc iſte aduocatus ſcripſit literas in hunc modum: Compater mi: venerunt ad me duo capones pingues: ego pinguiorem cepi, & aliũ vobis mitto: plumetis à parte veſtra, & ego plumabo à mea. Nunquid ita facitis domini aduocati?& poſtmodum iactatis vos de fatuitate veſtra. Itẽ Dominic.I.Aduent.Serm.XI. Fertur in quadam parabola,quòd Diabolus fuit ſemel infirmus: & venerunt medici, & quæſiuerunt ei quid vellet comedere?an piſces aquæ dulcis, aut maris? qui dixit, Non. an carnes porcorum, aut taurorum, vel vitulorum? qui iterum reſpondit, Non. aut pullos, aut perdices, aut aliquam venationem? Tunc reſpondit, Nihil comedam de omnibus iſtis epulis,ſed volo comedere de eſca de qua fui nutritus.Illa eſca, domini mei,eſt paſtillus de linguis aduocatorũ. Et alio loco:Domini,leuate capita veſtra.ſunt hîc aduocati, & domini de Parlamento,& procuratores de Caſteletto,& in Curia domini Officialis. Ipſi comedunt de lingua fraudulenta diſcos plenos.& aduocate fur & latro, Oportet reparare, aut irremediabiliter damnari.Sed iſta propoſita nimis tædioſa ſunt, ma-

ximè quum in illis Parlamentis ſint multi boni viri, qui de toto ſuo corde reformationem aliquam peroptarēt:ad quos nihil iſtorum omniũ quæ ſuperius dicta ſunt, pertinere proteſtamur. Et certè tum illis, tum toti corpori Curiæ Matharellus fecit dedecus iſta ſua fatuiſsima ſcriptione, quam non debuit ſine maturo conſilio præcipitare. Sed quoniam adeo fuit indiſcretus & inconſideratus, iacta ſit alea: & quòd ipſe ſibi intriuit, ſorbeat:& poſthac potius cum ſua veſica & caputio viridi inter ſtultos bazochiæ ſuum tempus tranſeat, quàm libros tam malè ad propoſitum componat:& de cætero caueat ſibi, & non tantam fidem adiungat Combelleo, Præuotio, Poemenio, Caſtelloclaro, Piſſeuinio, Boneſonio, Aurato, & Ludouico Aureliano, omnibus & ſingulis verſificatoribus, qui tam ſtultè, fatuè, ſtolidè ſtercorea ſua carmina pro corollario libri archifatuiſsimi ſubdiderunt. nam illi aliqualiter ſunt in cauſa, quòd Matharellus iſtam infamiam recepit: quia ſimulátque ſuum librum illis oſtendit, conſuluerunt illi vt ſtatim eum faceret imprimis: aſſerentes, eum eſſe triumphanter factum:& affirmantes quòd per iſtum librum poſt mortem domini de Biraguio poſſet eſſe Cancellarius: & ſtatim in iſta lætitia & gaudio Matharellus cucurrit ad Morellũ chalcographum, vt eum imprimeret:non cogitans quòd qui in tanto gaudio aliquid faciunt, conſuetudinariè nihil faciunt quod valeat: & quòd ideo ſignaturæ quas facit Papa antequam exeat de conclaui, audito quòd electus eſt, ſunt nullæ, propter nimiam lætitiam: vt

in terminis dicit Ioh. de Selua in tract. de bene-ſic.quæſt.2, & idem dicit gloſſ.in procem. regul. cancellar.

AD ANTON. MATHAREL-
LVM ALVERNOGENVM
Lucani Cephali carmen.

Accipe iam condigna tuo Matharelle libello,
Quæ promptus tibi dat Matago, reſponſa: dehincque
Sic male compoſitos libros dediſce cacare.
Omnes baſtones, omnes periiſſe foettos,
Perdita fræna bridaſque omnes fortaſſe putaſti,
Et cordas, nec te per quenquam poſſe ligari,
Mule ferox. Ideo de more aſini abſque clitellis
Fortiter atque alte bramans, feciſſe tacere
Sperabas omnes: etiam quoque perdita habere
Corda, nec auderet tibi qui replicare futurum:
Dum te facta tui bella illa in laude libelli
Grandes auriculas tendentem carmina fallunt.
Tu nos feciſti citius ridere, volentes
Iandudum patriæ labentis flere ruinam.
Diſce dein ſapere, & temere ne crede poëtis
Quorum aſſentari ſolum vnum carmina norunt.
Noſce tuas vires. Aſinum certare leoni
Ridiculum eſt, timidas aquilis pugnare columbas.
Inſignem ſed longo aſinum ſermone monere
Quid iuuat? æternum valeat mihi iners pecus, & quæ
Progignit tales montoſa Aluernia mulos.

THE
NEWBERRY
LIBRARY